

1639

1. Adr: Svanto Baner – Aut: Sveno Magni Hagelstenius (Disputatio philosophica de virtute heroica; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est sub praesidio /.../ Michaelis Savonii, /.../ pro magisterii philosophici privilegiis et immunitatibus consequendis, publicae disquisitioni et censurae, ad diem 18. Octob. /.../ submittit Sueno Magni Hagelsten. – Dorpati Livonorum, 1639: Typ. acad.) (cf. 21) SKB, [Tartu UB]

DEDICATIO

ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO

DOMINO

DN. SVANTONI **BANER**/

Haereditario de **Wynääss** / L. B. de **Tärnöö** et
Diurstholm / Domino de Runnenburg et Smilten etc.
 Domino ac Nutricio suo gratiosissimo.

Inclyte Mecoenas, Generosi pectoris Heros,
 Banerio Illustri stemmate nate Baro,
Ardua Celsorum, majorum facta tuorum,
Illustri Annales dexteritate sonant.
 5 *Mens eadem cunctis Patriae inservire saluti,*
Virtus celsa sago; celsaque fama toga.
Te simul invitat Virtus, ut ad arduo tendas,
Et genus exaeques, exsuperesque tuum.
Efflorescit Honos Tuus, et Tua Gloria surgit,
 10 *Dum Marti atque Arti dedita corda geris.*
Gratulor; inque animi signum gratantis, Ovantis,
Offero demissa parvula dona manu.
Parvula dona fero, sibi quae Nutritius Heros,
Deberi, solita pro pietate, docet.
 15 *Esto¹ aliqualis enim venturi fructus Honoris,*
Serviet ille Deo, serviet ille tibi.
Inde Honor inde tuum Nomenque Laudesque manebunt
Et mea musa tuis serviet usque viis.

Quod humiliter et submisso vovebat
 Vestrae Illustris Generositatis humilis Alumnus

2. Adr: Ericus Haquini Bobergius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio philosophica, de animae humanae origine, quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est die 5. Octobris anno 1639. /.../ publicae censurae submittit sub praesidio /.../ Petri A. Schomeri, /.../ Ericus Haquini Bobergius /.../ author et respondens. – Dorpati Livonorum, 1639: Typ. acad.) SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo

RESPONDENTI.

ERICUS HAQVINI BOBERGIUS:

Per Anagram.

JUS URGE: ABHINC QVIES ORBI.

Jvs Animarum URGE: Christo Duce et Auspice, nostro
SVRGET ABHINC ORBI deliciosa QVIES.

Quod ap.

¹ *Esto* : S calamo additum -que

Laurentius Ludenius, PH.
et J. U. D. ac Profes.

3. Adr: Ericus Haquini Bobergius – Aut: Salomon Matthiae (cf. 2) SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Hvmana ingentem mentis scrutaris abyssum,
Miraris Genij liberioris opes:
Felix, qui te nosse cupis: bene perge Supremum
Nosse Deum, post te messe: Beatus eris.

M. Salomon Matthiae
Ebr. Ling. P.P.

4. Adr: Ericus Haquini Bobergius – Aut: Seguardus Olai Wallander (cf. 2) SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Eusebiae et Sophiae decus immortale, BOBERGI,
Aonij et nostri gloria magna chori;
Ingenium magnum magnus tibi finxit Apollo,
Qvod propria majus sedulitate facis:
5 *Qvippe tuis Thesibus, valido qvas Marte tueris:
Vnde sit humana mentis origo, doces.*
Consveto nisu, Christo Duce et Auspice Christo,
Insta Pierijs invigilare Choris;
10 Et tibi pulcra canent sacrae praeconia Musae,
Atque tuum lauru cinget Apollo caput.

Debiti honoris gratia adscripsit
SEGVARDVS OLAI WALLANDER
W.-Gothia Svecus.

5. Adr: Ericus Haquini Bobergius – Aut: Petrus Jonae Bock (cf. 2) SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Admireris opus nascentis originis: ipso
Est anima humana e traduce, dante Deo.
Haec tibi ne dubiam moveat sententia mentem,
Consulo BOBERGi sedulitate Theses.*

Qvod gratulaturus apponebat
PETRUS JONAE **Bock**
Wermelandia Svecus.

6. Adr: Johannes Bringius – Aut: Johannes Mag. Silerus (Disputatio philosophica de liberalitate; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est sub praesidio /.../ Michaelis Savonii, /.../ pro magisterii philosophici privilegiis et immunitatibus consequendis, publicae disquisitioni et censurae, ad diem 18. Octob. /.../ submittit Johannes Bringius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1639: Typ. acad.)

H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Praestantissimo et Doctissimo Ju-
veni Viro,
Dn. JOHANNI BRINGIO, in Acade-
mia GUSTAVIANA, pro Laurea Magistri reportanda,
de LIBERALITATE; solliciter dispu-
tanti.*

*Est pulchrum larga depromere munera dextra,
Quod tu, mi BRINGI, mente lubente facis;*

*Pulchrius est valido virtutem Marte tueri,
 Quod quoque, mi BRINGI, mente lubente facis.*
 5 *Dum pro illa pugnans armis rationis et artis,
 Protinus unde tibi pulchra tiara datur.
 Hanc cole virtutem, pulchramque tuere tiaram,
 Et tibi perpetuum crescet in orbe decus.*
 10 *Plaude paterna domus te filius usque salutatur
 BRINGIVS, atque unum lumen in arte venit.*

Animi declarandi ergo apponebat
 Joh. Mag. Silerus.

7. Adr: Johannes Bringius – Aut: Haquinus Platinus (cf. 6)

H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

O BRINGI, Aoniae decus immortale cohortis,
 Et Dorpatensis gloria magna chori;
 Rem magnam dextre praestas, dum fortia bella
 Pro virtute sacra Marte favente geris.
 5 Hinc tibi dante Deo, sit amici nomen honoris
 Ceu meruit pietas, sedulitasque tua.
 Aspiret Christus coeptis, et vota secundet:
 Inter honoratos lucida stella mices.

Alacri animo adscripsit
 Haquinus Platinus Smol. S.

8. Adr: Johannes Bringius – Aut: Faderus Arvidi Wraelius (cf. 6)

H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Sacrarum BRINGI Musarum candida proles;
 Muneris es largus, munera larga feres:
 Nam tibi de Lauru sertum connectet Apollo,
 Spectata ut virtus fiat aperta tua.*

Honoris et fausti ominus E.
 scripsit
 Faderus Arvidi Wraelius,
 Smol. S.

9. Adr: Philippus Crusius et Ottho Bruggemannus – Aut: Adamus Schafferus (Illustrissimi et celsissimi principis ac domini /.../ Friderici, haeredis Norwegiae, Ducis Schleswici, Holsatiae, Stormariae, ac Dithmarsiae, comitis Oldenburgae et Delmenhorsti, etc. consiliariis /.../ et per Moschoviam in Persiam legatis magnis, /.../ Philippo Crusio, J. U. licentiate, /.../ Otthoni Bruggemanno, jam, /.../ e Persia Reducibus. /.../ Adamus Schafferus, Hervorda Guestphalus, in comitatu quondam alumnus. – Dorpati, 1639: Typ. acad.) Tartu UB

PROSPHONETIKON

Magnifici Virtute Viri, super aethera noti,
 Egregio officio LEGATI et munere magni,
 Delicium DUCIS HOLSATIAE, rata gloria Gentis,
 Praesidiumque meum, et Studiorum dulce levamen:
 5 *Sic, comitante Deo, Christo Duce, et Auspice Flatu,
 Vos tandem Reduces post perpessa esse pericla²,
 Quis non laetetur? quis non rata juba tollat?
 Exactis agitur jam qvartus mensibus annus,
 Holsaticae postqvam terrae pulcerrima tempe*

² pericla D metri causa

10 *Liqvistis Valedicentes pietate Propinquis;*
Ad terram ivistis peregrino Sole calentem.
Mirati Levones; Miratus Moschus et Indus
Vos ire ad claras Regalis Persidos oras.
Persia nascentis fulget sub solis Eoo,
 15 *Dives agris, dives positus in foenore terris.*
Regia vidistis late fulgentia Sceptra.
Ipse Pater Patriae sancta virtute serenus,
Rex hominum, claris aeternum Regibus ortus;
Postquam accessistis vultu laetatus amico,
 20 *Et vos porticibus confestim accepit in amplis,*
Et Celsi Holsatiae Ducis Illustrissima jussit
Enarrare cito gravium mandata laborum.
Dixerat: et facilis data postquam copia fandi;
Narrastis; Dux Holsatiae FRIDRICVS, amici
 25 *Orbis honor, celsis prognatus Regibus Heros,*
Consulat in medium veluti, et rata commoda Gentis
Amplificare velit nova per commercia rerum.
Audijt excelsus postquam Rex, inclytus Heros,
Portandas longinqva novas per compita merces;
 30 *Hinc et amicitias aeterno foedere claros*
Jungendos inter Populos, Gentemque togatam:
Inclyta Regalem penetrarunt gaudia mentem.
Illustres Regni Proceres, ubi talia fat<is>
Percepere novo; dixerunt candida verba,
 35 *Et sunt laetati, mercis Mutator Eoae*
Qvod novus Holsaticis e terris dexter adesset.
Convenere ratis inter se protinus actis,
Et nova perpetuo junxerunt foedere pacta.
Et bona conjuncto sunt Voto verba precati:
 40 *Eoae felix sit permutatio mercis,*
Holsaticae felix siet apportatio sortis.
Hoc erat! hoc unum felix communeque votum,
Mutua ut alternis tradantur munera dextris!
Omnibus exactis; Regali et divite pompa
 45 *Dicitur extremum Vale; Dicitur, Auspice Christo,*
Ite bonis avibus; Celso Veneranda referte
Hinc mandata Duci; Feliciter ite, redite
Holsaticae in terrae pulcerrima regna; Serenos
Adjungam Comites viae, et omnia commoda pandam.
 50 *Dixerat: et cito Moschoviae transfertur ad oras*
Candida fama rei. Magnus Dux, inclytus Heros,
Moschoviae exultat; bona pergite dicere verba;
Et cum laetitia Reduces Vos accipit altum;
Regales offertque, novos atque addit honores,
 55 *Exultatque maris spatiosa per aequora Caspi*
Ire redire Viros: Bona coepit dicere verba;
Eoae felix sit permutatio Mercis,
Holsaticae felix siet apportatio sortis.
Dixerat: et terrae Proceres feliciter adsunt,

- 60 *Et Ducis insigni pompa ducuntur ad aulam,
Ac multum summo praeclari augentur honore;
Accipiunt, redduntque rato dictamine voces,
Et juncta Illustri Peditumque Eqviturumque caterva
Sancto e Moschovia bene dimittuntur honore.*
- 65 *Audijt id postquam tellus Livonica: multum
Jugiter exultat; laetantur viscera terrae!
Plaudit Mercurij soboles Dorpatica: Apollo
Dexter ovat, recitatque melos Citharaque Lyraque.
Inclyta telluris totius Gloria Riga*
- 70 *Plaudit ovans: plaudit Revalia Marte superba;
Plaudit in ingenuo celeberrima pectore Narva;
Laetitiae plausu Parnovia tota triumphat;
Dantur ubique novo voto nova gaudia; dicunt;
Eoae felix sit permutatio Mercis,*
- 75 *Holsaticae felix siet apportatio sortis.
Audijt Holsatici Dux Illustrissimus orbis,
Et Proceres terrae Illustres, et Civicus ordo,
Et bona confestim coeperunt dicere verba.
Dixerunt: o Magnifici pro tempore nostri*
- 80 *LEGATI, Reduces laeto sint sidere nobis.
Neqvicum sunt multorum ignari ante malorum,
Holsaticae postquam migrare e finibus, ante
Qvattuor o anno, sunt ausi, et credere Ponto
Sese inceperunt; coelum undique et undique Pontus,*
- 85 *Spirarunt Venti, fluctus et ad astra voluti.
Vix orbem medium nox horis acta subibat,
Cum subito torquent in saxa Oilandica navem.
Ad coelum palmas tendunt cum voce supinas,
Et precibus certant, vix spes superasse videtur,*
- 90 *Qvando Legatus, curis licet aeger obortis,
Incipit; o Socij, mens nostra est nescia Fati:
Ah! revoke animum et rebus servate secundis;
Et facilem dabit his finem Divina potestas.
Hinc licet argenti, gemmarum pondus et auri,*
- 95 *Commissum noctu cymbae mergatur, idipsum
Lux tamen orta dabit, veluti lux reddidit orta.
Altera cymba agitur, sed mergit in aeqvora fluctus,
Apparent vasto nantes in gurgite nautae;
Eluctantur aqvis: Faber ast lignarius unus*
- 100 *Fluctibus opprimitur, tristem subit aequore mortem.
Sol ruit interea, et miscetur murmure Pontus,
Optati crescunt venti spirantque secundi,
Vela ferunt, scopulis abcedunt Numine fausto.
Laeva Kalmariam, hinc Oiland dextraque relinqvunt.*
- 105 *Praetereuntque gravem scopulum, qui Svecica Virgo
Dicitur; ast facti magno cum murmure Venti
In coecum impellunt conversa cuspide mentem,
Et tamen inde abeunt; crebro flat turbine ut Eurus,
Incerti Livonum longe junguntur ab oris,*

- 110 *Quinque dies totos jactantur in aeqvove vasto.
Aeolus ex oculis rapuit coelumque diemque,
Disjecitque ratem; praesentem singula mortem
Intentant; tandem stridens Aquilone procella
Malum aversa ferit sub prima crepuscula noctis,*
- 115 *Franguntur vela, antennae atque statumina navis,
Revalia longe arcentur; maria omnia circum
O errant Fatis acti! mox luce seqventi
Defessi nautae tendunt ad proxima cursu
Littora, turritas veniunt Hohelandiae ad oras;*
- 120 *Anchora de prora jacitur, stat littore puppis,
Qvisque DEo memori persolvit pectore grates.
Annua dum redeunt data Martinalia festa,
Atque alia ex alijs Fatis in Fata vocantur,
Deficit ecce rudens! in saxa latentia fracta*
- 125 *Torqvetur navis rapidis et mergitur undis.
O facies miseranda rei! pelluntur ad oras
Hohlandae, bis sex ibi qvattuor atque diebus
Haerent, et ducunt extrema per omnia vitam!
Sed tandem, summo sic disponente Jehova,*
- 130 *Haec Hohelanda duas naves Riga excipit ora,
Nau-que-fragos, vivos in littora firma reponunt.
Tantae molis erat tractare negotia! felix
Persidos, Holsatiaeque siet qvo vectio mercis.
Illustris Dux Holsatiae sic ore profatus,*
- 135 *Et Proceres terrae Illustres, et Civicus ordo,
Dixerunt bona verba: simul per vota precantur;
Qvos habet o Reduces Levonum pulcerrima terra,
Incolumes hinc Holsaticis reddantur et oris.
Sit faustum et felix! Reduces fausto omine sitis*
- 140 *Holsatiae terris: sint omnia facta beata!
Eoae felix sit permutatio Mercis,
Holsaticae felix siet apportatio sortis.
Omnia felici succurrant omina Fato;
Persia, Moschovia, et tellus Livonica, et orbis*
- 145 *Holsatiae felix totum laetetur in aevum:
Dentur ubique novo pulcerrima gaudia plausu.
Haec ego. Magnifici vos longos vivite soles,
LEGATI adsitis Fama super aethera noti;
Incolumes vitam Pylios ducatis in annos,*
- 150 *Nomen et immensum volet immortale per orbem.*

Dnn. suis Mecoenatibus, Felicem e Persia
reditum ita devote gratulabatur
ADAMUS SCHAFFERUS, Hervorda Gvestphalus,
in comitatu quondam Alumnus.

10. Adr: Olaus Nicolai Duncanus – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio in felix novi anni 1639. auspiciu, ex aureo dicto, quod est Matth. 6. v. 33. quaerite primum Regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia vobis adjicientur; proponens, qui processus in vocationis nostrae laboribus esse debeat; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 16. Januarij anno 1639. /.../ publice habebat Olaus Duncanus, junior, /.../ - Dorpati Liv., 1639: Typ. acad.) SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctiss. et Ornatissimo Dn.
PERORANTI.
 OLAUS NICOLAI DUNCANUS:
Per Anag.
 I INCOLA! USU ANNOS DULCA.

INCOLA terrarum nunc I feliciter: VSV
EDVLCA vitae venientis svaviter ANNOS.
Justitiam Christi quaeaemus et inclyta Regna,
Ac aderunt praesens vitae quibus indiget VSVS.

Quod ap.
 Laurentius Ludenius,
 J.V.D. et
 Professor.

11. Adr: Martinus Nicolai Faxelius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio philosophica de forma; quam /.../ in Regia Livonum Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ sub praesidio /.../ Michaelis Savonii, /.../ pro magisterii reportanda laurea /.../ publico examini ad d. 16. Octob. /.../ submittit Martinus Nicolai Faxelius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1639: Typ. Acad.) UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo Dn.
RESPONDENTI.
 MARTINUS NICOLAI FAXELIUS,
Per Anag.
 I NVNC: ILLA FAXIT JESUS-AMOR.

I NVNC: victrices licitum est contingere Lauros,
Et meritas prima cingere fronde comas.
JESVS noster AMOR rata NVNC ILLA omnia FAXIT,
ILLA, piis votis quae placuere tuis.

Quod animitus app.
 LAURENTIUS LUDENIUS, Holsat.
 PH. et J.U.D. ac Prof. Jur. Orat. ac Poës.

12. Adr: Martinus Nicolai Faxelius – Aut: Johannes Eriici <Stregnensis> (cf. 11) UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Undique Mavors
 Implet opacum
 Cladibus orbem,
 Cuspide laesa
 5 Regna laborant.
 Soeviat armis
 Mars truculentus,
 Regna tumultu
 Plena sonentque:
 10 Non tamen armis
 Dorptica Musa
 Pressa, movetur.
 Fulget adinstar
 Lucis in umbris,
 15 Sydere fausto

Aequa Camoenis
 Transigit annos.
 Hinc studiorum
 Allicit alma
 20 Pondere virtus
 FAXELIUM usque
 Pergat ut acris
 Omnibus horis
 Et colat Artes,
 25 Unde resurgat
 Gloria magna.
 Tu studiorum
 Victor in arce,
 Diligis Artes,
 30 Ingenijque
 Dexteritate
 Excolis Artes.
 Hinc tua tandem
 Tempora lauro
 35 Cinget Apollo,
 Laude beabit,
 Nobilitata
 Tollet ad astra.
 Gratulor inde
 40 Rite tistique,
 Rite tuisque:
 Gratulor inde
 Fausta precando
 Fausta canendo
 45 Mente favente.

Ita Dn MARTINO FAXELIO, pro
 summo in Philos. Gradu disputanti
 gratulari voluit
 Johannes E. Stregn.
 Philosoph. Candidat.

13. Adr: Jacobus Friederich – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio metrica in felix novi anni, supra a
 millesimum, sexcentisimum trigesimi noni auspiciis: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae
 Dorpati est /.../ ipsis Calendis Januarij <1.1.> anno 1639. publice /.../ recitabat Jacobus Friederich, /.../
 - Dorpati, 1639: Typ. acad.) UUB, [Tartu UB]

DEDICATIO

Dn. Lectoris Vita et Incolumitas
 Votum meum

5 Auspicijs, Pie Christe, tuis Coelestibus, Annus
 Induat o iterum sese! Feliciter ipsis
 Primis laeta tuis dicantur verba Calendis.
 Te sine non poterunt Annorum tempora verti;
 Et certa ratione geri quid, et ordine certo.
 Ast nobis, Te dante, Annorum secula circum
 Cum redeunt, foetusque ferunt variosque lepores:

Spirat odorato florum nova gratia Vere,
 Florida praegnantem Cererem bene temperat Aestas,
 10 Discolor arboreos reddit Pomona sapes,
 Defluus atque Hyemem feliciter irrigat imber.
 Te dante, Arctoae nitidissima Gloria Gentis
 REGINA, Heroina sacrum Jovis incrementum,
 Delicium Patriae VIVIT; cito magna gerendi
 15 Praecipitat tempus; Pro Sacris, militat armis;
 Certat ad obsequium magni solertia Martis,
 Expedi et bella augendo vibrata sarissa.
 Te dante, est felix nostri Tutela Lycei,
 In Patriis crescit sacrosancta Ecclesia terris,
 20 Et pulchrae nullo pereunt discrimine Leges.
 Te Duce, pulchra Boni metrice Anni exordia dicet
 Nobilis Eusebiae cultor Pietate, JACOBUS
FRI DENRI CH/ duodena hodie cum linea plena
 Vmbra tangetur. Resonant Academica Tempe!
 25 Celse Gubernator Levonum, Dux militiae
 Illustris, Baro Illustris, BENEDICTE, Potentum
 OXENSTJERNORUM Decus immortale Virorum;
 Magnifice o Rector; Soboles Illustris amandi
 Mercurij; et nostri Proceresque Patresque Lycei,
 30 Atque Novenarum Cultor studiose Sororum;
 Adsis: Pulchra Novi sume Anni Exordia: Grata
 Carpe manu Strenam: Christo Duce et Auspice Christo,
 Omnia Principijs insunt atque ultima primis!

Perscriptum Dorpati 1. di<e> Jan. Anno 1639.

V. J. G.
 humiliter,
 V. M. J. R. et E.
 reverenter,
 V. H. et P.
 amice colens,

LAVRENTIVS LVDENIVS, Holsat:
 PH. et J. V. D. Poët. Cor. Professor
 Juris, Oratoriae et Poës.

14. Adr: Jacobus Friederich – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 13)

UUB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Nob. et Humaniss. Dn.
PERORANTI.
JACOBVS FRI EDENRI CH/
Per Anag.
 HIC CVRA FIDERE BONIS.

Grata Novi quando sic Anni Exordia pandis,
In Christo HIC tua sit FIDERE CVRA BONIS.

Quod ap.
 LAVRENTIVS LVDENIVS,
 J. V. D. et Professor.

15. Adr: Jacobus Friederich – Aut: Adrianus Verginius (cf. 13)

UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

JACOBVS **FRI EDENREI CH** / *RIGA-LIVONVS,*
SANCTAE THEOLOGIAE STVDIOSVS:
 κατ' ἀναγρ. b in a mutato.
AGE, ANNI HVIVS FINIS ADEST, CHRISTO
DEO VERO SIT LAVS AC GLORIA VOCE.

Eja AGE, FINIS ADEST; in quo nos viximus, ANNI
 HVJVS ADEST FINIS, principiumque Novi.
 Fundite laetitiam palmis, AC plaudite VOCE,
 CHRISTO SIT VERO GLORIA LAVSque DEO.

Amico suo fraterno lubens f.
 ADRIANUS VERGINIUS, Julino-Pomeranus,
 Ecclesiae Nuggensis Pastor, et Scholae Senatoriae
 Dorpat. p.t. Moderator.

16. Adr: Jacobus Friederich – Aut: Johannes Fabricius (cf. 13)

UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Non capies Sophiae magmentum? disseris alte!
Disseris, ut doceas Sophiae cemeliam sanctae
Qvaerere, qvam Christus coelo nos cordis in imo
Erudit. O Sophiae vos SANCTA SILENTIA Sanctae!
 5 *Disseris, ut discas in amore qviescere Christi.*
Verus amor, veram Christi qvi corde qvietem
Qvaerit! vera qvies, qvam Christus amascit; amorem
Pectore qvae Christi qvaerit! Si qvaeris utrumque,
Nonne perennantis Sophiae magmenta capesses?

Debiti honoris ergo adjecit
 JOHANNES FABRICIVS,
 SS. Theol. Studiosus.

17. Adr: Jacobus Friederich – Aut: Hermann Schwemler (cf. 13)

UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Aurea nunc vere sunt secula: non tamen auro
 Venit honos: Christo conciliatur amor.
 Pulsa novo est anno mala res: pulcherrima Christo
 Jura Poli nobis sunt: Pietate colunt
 5 Terra salumque Polusque DEUM: *Fridrice*, loquela
 Est tua **Fridenreich**: aurea secla refers.

Herm. Swemler.

18. Adr: Jacob Friederich – Aut: Johannes Abrahams Diemerus (Dissertatio theologica de Deo in
 essentia uno, et in personis trino. Quatuor dictorum classicorum. Ex Deuteron. 6. v. 4., Psalm. 33. v. 6.,
 Matth. 28. v. 19., 2. Corinth. 13. v. 13. ἀνάλυσιν; et praecipuorum erotematum ἐξήγησιν exhibens in
 Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur praeside Andrea Virignio /.../ respondente
 Jacobo Friederich /.../ d. <> April. /.../ - Dorpati Livonorum, 1639: Lit. acad.)

H, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

AD NOBILISSIMUM ET HUMA-
 nissimum Dn. Respondentem de SS.
 Trinitate disserentem.

JACOBE Mystagoge
Trinunitatis, ecquae
Potiora possis hisce,
Et hactenus per actis
 5 *Proferre et expedire?*
Non posse, mi videris;
Nam sacra plura, sacra
De Trinitate dixti³
Diebus hisce lapsis:
 10 *Almum Deum parentem,*
Pro concione dixti.⁴
Almum Deumque Gnatum,
Pro concione dixti.⁵
Almum Deumque Flamen.
 15 *Pro concione dixti.⁶*
Et sacra plura, sacra
De Trinitate dices
Iam jam die futura.
Sic perge, perge! Nunquam
 20 *Meliora tu docebis.*
Sic perge, perge! grande
Referes decus. Videbis
Trinunitatem, et ecce
Videbis ipse, et ecce
 25 *Tunc Gloriam coronam*
Virgunculam Coronam
Capies loco brabei.
Capies sed ipse Tu, Tu
Trinunitatis almae,
 30 *IACOBE, Mystagoge.*

Quod animitus Amico suo
 sincere precatur
 Johannes Abrahamus Diemerus
 Lynh. Austr. SS. LL. St:

19. Adr: Christophorus Günterberch – Aut: Laurentius Ludenius (Historia monarchiae Persarum: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ oratione solenni die 2. Maji, /.../ anno 1639 publice /.../ posteritati consecrabat Christophorus Günterbech, /.../ - Dorpati Liv., 1639: Typ. acad.) SKB, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Nobilissimo et Doctissimo
DN. PERORANTI.
 CHRISTOPHORUS GUNTERBERCHIUS;
Per Anag.
 O REGIT HUNC CHRISTUS (PROH)
 SUB RE.

³ *dixti* edd metric causa

⁴ *dixti* edd metric causa

⁵ *dixti* edd metric causa

⁶ *dixti* edd metric causa

*O regit hunc Christus (proh) sub re divite: Christus
Vsque regat, Regum dinumeretque vices.*

Quod animitus ap.
LAURENTIUS LUDENIUS, J.V.D.
et Professor.

20. Adr: Christophorus Günterberch – Aut: Rudolph Strauch (cf. 19)

SKB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Docte Persarum depingis Regna: Monarchas,
Fortunas pacis, bellaque rite refers;
Vt varios discas casus constanter obire,
Perge; tuis coeptis annuat alma Trias!*

5 **Wem Frömmikeit gefelt /
Wer Tugend stets Wehrt helt /
Wird nimmer trawren;
Er wird nicht leicht befleckt /
Von lasten angesteckt /**
10 **Steht wie die Mawren.
Weil jhr dieselbe Liebt /
Sie euch hinführo giebt /
Ruhm /Lob / begnügen.
Fahrt fohrt / vnd stelt jhr nach /**
15 **Der Himmel wird ewr sach
Nach willen fügen.**

Haecce in gratiam Commensalis sui
svavissimi in Sveciam abituri-
entis deproperabat
Rudolphus **Strauch** / Windoviensis.

21. Adr: Sveno Magni Hagelstenius – Aut: Laurentius Erici Gavelius (Disputatio philosophica de virtute heroica; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est sub praesidio /.../ Michaelis Savonii, /.../ pro magisterii philosophici privilegiis et immunitatibus consequendis, publicae disquisitioni et censurae, ad diem 18. Octob. /.../ submittit Sueno Magni Hagelsten. – Dorpati Livonorum, 1639: Typ. acad.) (cf. 1)

SKB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantissimo nec non Doctissimo
DN. RESPONDENTI.*

Sympatriotae et amico syncere dilecto, pro
summo in Philosoph. gradu consequendo
disputanti.

Sic bene sectaris Clarijs versatus in agris,
Virtutem magno SVENO labore sacram?
Quaerere quam debent illustri stemmate nati,
Reges et Proceres, magnanimique Duces.

5 Heroum exemplum mansit GUSTAVUS ADOLPHUS
Rex, patriaeque Pater Divus honore manet.

In signum infucatae amicitiae,
lubens apposuit,
Laurentius Erici Gavelius,
Gevalia Svecus.

22. Adr: Heinrich Hein – Aut: Laurentius Ludenius (Scep̄tris Academicis, quae, /.../ in magnificum pro t. rectorem /.../ Heinricum Heinium, Rostochiensem, Megapolitanum, J.U.D. /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ juris professorem, Juridicaeque Facultatis pro t. decanum /.../ et summi Dicasterij ibidem adsessorem; /.../ magnificus /.../ pro t. exrector /.../ Andreas Virginius, nob. Pom. haereditarius in Schwessien, SS. theol. D. et professor primarius, ejusdemque facultatis pro t. decanus /.../ nec non protosynedrij adsector, publice solenniterque 30. die Octobris anno 1639. /.../ conferebat: gratulantur /.../ Musae Embecciaes. – Dorpati Livonorum, 1639: Lit. acad.)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
GRATULATIO

Excellens, HEINI, Themidos gravitate Professor,
 Eunomiae sublime decus, pulcerrima Gentis
 Laus Megalespoleos, Levonum omni notior orbe,
 Arctoi e Regis Dorptae Prudentibus, ingens
 5 Consulere in medium et dubijs succurrere rebus:
Salve! dum geminum Christus proponit honorem,
O Collega, REDVX, HERCLESque Academicice, Salve!
Inclyta scitatum te sancti Oracula Regni
Miserat in dubio suspensa Academia casu.
 10 *Namque sacrum aeternae fulcrum Pietatis, et illud*
Dulce jubar terrae, Divus GVSTAVUS ADOLPHVS,
Ardua progenies Regum, Celsissimus Heros;
Eripuit postquam diverso ex hoste trophaea,
Eruit et Levones belli e graviore tumultu;
 15 *Illustris Victor; celsum dum laeta triumphum*
Vox canit, et longas resonant Capitolia pompas;
Respicit, et quanta discit Livonia tellus
Continua gravium serie calcata malorum
Fessa labat; passim infelix dum soevit Erinnyis
 20 *Contemprix superum, tristisque avidissima fraudis.*
Indoluit soevarum inter deserta ferarum
Agrestes humilem Levones traducere vitam!
Regia ferre jubet dociles mandata per aures
Vt deponantur gentilia numina pagis,
 25 *Vana superstitio et veterum cultura Deorum.*
Imperat ut veri coelestes Numinis haustus
Accipiant populi, mentesque in nube jacentes
Sancte illustrentur divini ad luminis ignes.
Imperat ut Probitas omnes cingatur in usus,
 30 *Temperet et praestans humana pericula virtus.*
Mox loca dat populis, ubi Christum jugiter orent:
Sanctae Palladium erigitur sublime Minervae; et
Hic, ubi Dorpatum surgunt Academica Tempe
Rex pius, invitat pretiis, et praemia ponit
 35 *Digna Professore, ingenuo qui tincta lepore*
Corda creet Juvenum, monitis et voce magistra
Informet, dotesque alto cum pectore jungat.
Rex pius, invitat pretiis, et plurima ponit
Praemia; Mercurii ut Soboles, generosa Propago,
 40 *Dum dociles facilesque anni, dum mobilis aetas,*
Addiscat sancti divina Oracula Verbi;
Quodque Stagirites, schola dixit quodque Platonis;

Papinianus item, et celebris medica Arte Machaon.
Assignata tamen deerant data jugera campi,
 45 *Certaque diversis exercita frugibus arva;*
Prataque et arboribus spectabilis undique sylvæ.
Quippe, Patre patriæ Divus GVSTAVVS ADOLPHVS
Linguebat dulces Animas pro Arisque Focisque
Ante, suos caperent quam facta exordia fines.
 50 *Vidit; et indoluit sacrum Jovis Incrementum*
Regibus Arctoïis CHRISTINA Heroibus orta;
Dixit; sancta Aris alimenta et commoda Musis
Sufficiam; Cererem expediam; dabo jugera campi,
Vt quoties Soles longinqua retorserit aestas,
 55 *Hinc propriis toties reditum det culmus aristis*
Et medio addictas aestu terat area fruges.
Regia, cara Deo, Pietas ita dixerat; atque
Aeterno veniunt hæc Vero consona verba.
Sospes adest, Comitum Angelica stipante caterva,
 60 *HEINIVS Orator; proponit humillima vota,*
Quæ demisso Embecciadæ de pectore promunt
Atque humiles orant Regalia Numina Musæ:
Si visum, ut segetes reddensque alimenta quotannis
Assignetur humus Dorptensibus æqua Camoenis.
 65 *Dixerat: Illustris Regina his annuit; optant*
Idque e Reginae Arctoæ Primatibus omnes.
Optata accipimus diffusi jugera campi
Agrestesque Lares, et certa mapalia; ceu sunt
Quadringentæ Hubæ, triginta tresque: relatae
 70 *In decies septem et quatuor pulcro ordine pagos,*
Hic ubi confinis bellacibus Ingria Moschis;
Gaudeat ut tantis crescens Academia donis,
Paulatim et propriis flavescat campus aristis.
Sanctæ Reginae meritas persolvere grates
 75 *Quis poterit? Referat Numen Coeleste. Precemur,*
Delicium Patriæ vivat, per secula vivat,
Et maneat clemens nostri tutela Lycej,
Audendo bella expediat victricibus armis.
Illustres Regni Proceres per secula vivant;
 80 *Rideat et vultu illustris fortuna sereno.*
HEINI, delicium Musarum Nobile, Salve;
O Collega Redux! Christo Duce et Auspice Christo,
Inde, ubi magnanimis contermina Svecia Gothis
Rite Redux, Salve: manet alta mente repostum⁷
 85 *Quaesitum auxilium et nascentis commoda Musæ.*
Nulla operis famam poterit delere vetustas,
Posteritas laudes æternum extendet in ævum,
Laetas ingeminant grates Academica Templæ,
Eusebia, Eunomia et Panacea et candida Pallas,
 90 *Et laeti Juvenes et ovantes voce Camoenæ.*

⁷ *repostum* H metri causa

*Hinc, dum Magnificas Illustris muneribus hujus:
 Delicias gustas; Dörptensis sancta Lycei
 Sceptra gerens; ut sis felix Academicus Hercules,
 Coelica dispositisque aspiret Gratia coeptis*
 95 *Atque det usque operis cursus venerata secundos,
 Omnium idem nostrum est unum communeque votum.
 Te Rectore, sacris Habitacula credita Musis
 Regifica auguste surgant ad sidera pompa:
 Impleat et Virtus venturi pulpita secli;*
 100 *Atque quod esse velit faustum Deus arbiter aevi,
 DORPTA sui mundi microcosmos, Martia muris
 Filia Mercurij, Aonidum Germana resurget!
 Salve, HEINI, meritis Hercules Academice, Salve;
 Semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt.*

Quod venerando suo Dn. Collegae gratiae
 LAURENTIUS LUDENIUS, Holsat. PH.
 et J. V. D. ac Professor Juris, Orat. et Poëseos.

23. Adr: Heinrich Hein – Aut: Johannes Vallander (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
 GRATULATIO

Dic tuae laudis, Vir Clare, Encomia, versu
 Ecquid opus tenui commemorare tibi?
 Alterius nescit Virtus laudari ulnis;
 Ipsa sibi victrix subsequa secla fovet.
 5 Duntaxat grator Sceptris. Hoc insuper addo,
 Te tria commendant; Gloria, Laus, et Honor.
 Haec te commendant; ego quae commendo Poëtis,
 Uberiore quibus Carmine Vena fluit.

Johan. Vallander L.C.

24. Adr: Heinrich Hein – Aut: Johannes Schlechter (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
 GRATULATIO

*Nec mea Calliope, mea nec Tritonia Pallas,
 Longa solet metrico plectra polire modo.
 Hinc gracili paucis ludam modulante Thalia,
 Complectens uno plurima vota metro.*
 5 *Sis felix; foveasque tuos, faveasque Camoenis,
 Sceptra gerenda colens, Sceptra colenda gerens.*

Felicioris ominus E. accinebat
 JOHANNES Schlechter / Rig. Liv.

25. Adr: Heinrich Hein – Aut: Hermann Schwemler (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
 GRATULATIO

1.
**I ch erfrew e mich von Herten/
 Wenn ich euch O Galathee/
 Und die Charitinnen seh'
 An der kühlen Embeck schertzen:**
 5 **Da ihr schöne Cräntze bindet/
 Auff den angenehmen schein/
 Da Herr HEIN wird Rector seyn/**

Da I hr Lorbeersträuche windet.

2.

10 Dorpt/ laß deine Musen singen/
I ch will selbst nach gebühr
Unser *Themis* Edlen Zier
Meine grobe Seitten zwingen:
Was auch sonst zu seinen Ehren/
15 Bey mir immer möglich ist/
Will Jch ohne Müh vnd Frist/
Gerne wissen anzukehren.

3.

20 I tzt rint vnsre *Hippocrene*,
Fama flieget durch die Lufft
Wenn sie diesen Tag aussrufft
Durch ein hohes Lobgethöne:
Auff zu solchen Ehrensachen/
Dieser Tag ist nichts als Pracht/
Pallas hat jhn selbst gemacht/
Siehet wie die Wolcken lachen.

4.

25 Wünschet das Herr HEI NE lebe/
Wünschet daß sein trewer Fleiß
Vber allen Neid und Preiß
Auff dem hohen *Pindus* schwebe:
Wünschet daß sein Ruhm vnd Ehre/
30 So den Sternen auch bekandt/
Sich durch *Phoebus* weise Hand
An den Zinnen stündlich mehre.

35 *Qvi bibis Embeccam, qui Dunam, curre Livone,*
Currite quos HEINI, currite, tangit amor.
Alta datae laudis reboabit buccina, Musae
Cingite fronde comam; curre sacrata Themis.
Bartole, Balde veni: subito concurrите cives,
HEINIVS en Rector pulpita scandit Atlas.
40 *Quod si quis vestrum, Iuvenes, non venerit, illi*
Imprecor ut nunquam Pallados amne bibat.
Imprecor ut nullo capiatur honoris amore,
Ut Craesi capiat munera nulla precor.
Imprecor ut pulcris placeat non ille puellis,
Qui timet haec, hodie promptus adesse potest.

Herman Swemler.

Quaenam nova illa Pompa?
 VIR CLARE, CLARE DOCTOR
 LEGUM ARBITER PERITE,
 Quaenam nova illa Pompa?
 5 Orchestra nam Lycej
 Est undiquaque cincta
 Tapetibus. Juventa
 Pindoque Phocidique
 Gratissima, astat illic,
 10 Coetusque Gratiarum;
 Bene, verba tersa Pithus⁸
 (Mellifluo lepore
 Ceu Tulliana mista) e
 Labris Viri utriusque
 15 Manantia, haurientes.
 Ostrinus ille amictus
 Humeros viri decore
 Onustat, et venustat.
 Aurata bina Sceptra
 20 Bini, hic et ille, gestant.
 Comitatur hic et ille
 Comitatur ille et iste.
 Et hic, et ille, et iste,
 Quos rythmica potessit
 25 Chely vibrare nervos,
 In tempus hocce praesens
 In ejus atque laudes
 Deponit atque defert.
 Et hic, et ille, et iste,
 30 Et omnis, universa
 Quos ambit haecce Dorpta,
 Concurrit et recurrit;
 Vultuque (quem venustat
 Severitas decora
 35 Et dignitas honora)
 Viri Gradus supremi
 Gaudet frui et fruisi.
 Quaenam nova illa Pompa?
 Evax! Nova haecce Pompa?
 40 Insignis haecce Pompa,
 Solemnis haecce pompa,
 Merito TIBI irrogatur,
 VIR CLARE, CLARE DOCTOR:
 Tapeta namque structa,
 45 Et vestis illa Coae,⁹
 Et illa bina Sceptra,
 Et quicquid ille et ille

⁸ V. 11-21 deletum in U

⁹ V. 45-54 deletum in U

Et quicquid ille et iste
 Molitur: Haecce cuncta
 50 Te nuncupant aperte
 Nostri caput Lycej;
 Et nuncupant aperte
 Nostri Ducem Lycej.
 Hinc salve, et usque salve
 55 O numen atque Lumen
 O Lumen atque numen.
 Nostrae sacrae Palestrae.
 Et ter, quaterque salve
 O Ductor atque Doctor,
 60 O Doctor atque Ductor
 Nostrae sacrae Palestrae.
 Hinc ergo, CLARE DOCTOR,
 Sis RECTOR atque DUCTOR,
 Sis aequus arbiter, qui
 65 Justa bilance cuncta
 Perpendit ac rependit!
 In Lege Jus sit: Et Tu
 VIR MAGNE, MAGNE RECTOR,
 Justi memento et Aequi
 70 Themidos memor verendae.
 Sua Titius reservet,
 Servet suumque Cajus:
 Et quicquid hic et ille,
 Et quicquid ille et iste
 75 Movet, vel usque patrat,
 Astraea justa tollat:
 Sis aequus arbiter, qui
 Justa bilance cuncta
 Perpendit ac rependit.
 80 Sed eja, ne quid errem!
 VIR MAGNE, MAGNE RECTOR;
 Ut Judici subinde
 Et huic, et illi, et omni
 Fuitque eritque laudi
 85 Fuisse perbenignum:
 Tibi sic eritque laudi
 Fuisse perbenignum
 Benignitasque longe
 Superat Severitatem.
 90 Hinc ergo, CLARE DOCTOR,
 Sis DUCTOR, at benignus;
 Sis RECTOR, at benignus;
 Sis RECTOR atque DUCTOR
 Sis DUCTOR atque RECTOR
 95 Uterque sed benignus.
 Ne soevias in ausus
 Improvidae Juventae;

Et quicquid hic et ille,
 Et quicquid ille et iste
 100 Patrauerit, Paterne
 Discerne, solve, tolle.
 Sic rite, sicque vere
 Et hic, et ille, et iste
 Et omnes, Universa
 105 Quos ambit haecce Dorpta,
 TE, ut sentiunt aperte
 Nostri Caput Lycej;
 Ut sentiuntque aperte
 Nostri Ducem Lycej,
 110 Sic sentientque aperte
 Nostri Patrem Lycej
 Ego insuper trecentis,
 Et insimul trecentis,
 TE laudibus movere
 115 Ultra Poli rotatus,
 Sum promptus et paratus.

JACOBVS LOTICHIVS.

27. Adr: Heinrich Hein – Aut: Rudolph Strauch (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]

GRATULATIO

*Est onus omnis honos: sed honos facit omne onus omni**Vt leve sit: vincit deliciosus honos.**Officij fers jugis onus, Venerande Professor,**Magnifici sequitur devenerandus honos.*5 *Hic felix sit honos: nec onus sit Sceptra tenere:**Prosperitet summus tradita Sceptra DEVS.*

addebat l. mque

RUDOLPHUS **Strauch** / Wind-Cur.

28. Adr: Heinrich Hein – Aut: Johannes Vestringius (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]

GRATULATIO

HEINI, cor Themidos, decus immortale sororum,

Phoebus post multos quem veneratur avos,

Qui potuere inter lituos pacemque tonare

Quorum ori contra consonuere Scholae,

5 Te priscis iterum nunc auget honoribus aether,

Quos nemo nisi mens tam generosa capit.

Stat mea Musa tremens varijs rationibus acta,

Et tacuisse nefas et cecinisse pudet.

Hinc pudor, inde nefas, illinc infantia parvis

10 Incoeptis obstat, undique Musa riget.

Si dico quod non proprio tantummodo magnus

Nomine, quod propria non modo laude clues;

Magni quod proavi sua nomina magna secuti

Et sua junxerunt nomina nominibus:

15 Mens generosa scio proavum fastidit honore

Crescere; parta a te gloria, stemma facit.

Ergo quid satius? quam ter tria pocula Muis

Consecrasse novem, ter tria pocla¹⁰ tibi.

Debita ex observantia scripsit
Johannes Vestringius.

29. Adr: Heinrich Hein – Aut: Casparus Eggerdes (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
GRATULATIO

HEINRICVS HEINIVS DOCTOR.
Per anagr.
HIC RITVS HONORI: DEVINCES.

Clarum novumque jam, subis negotium,
Munusque clara mente quam dignissimum,
O Magne Iuris Doctor, et Legum gravis
Consulte, dum Sceptra novis et inclytis
5 *Celebris Universitatis Dorpticae*
Ornatus, istam fronte laeta suscipis
Provinciam, provinciam multo quidem
Labore septam, sed tamen gratissimae
Famae et perennis gloriae plenissimam.
10 *HIC namque RITVS annuus cedit tibi*
Et omnibus tuis HONORI mutuo
Ac debito. Dent Fata quaeso coelica,
Vt hoc decus nomenque sancti muneris,
Quo sponte jam fungere, crescat indies
15 *Magis magisque floreat Concordia,*
Et alma Virtus hic perennet undique.
Sic omne DEVINCES onus, sit munia
Laboriosa perferes, sic Numina
Regesque Phoebi pro optima placentia.
20 *Vires alacres largiatur Optimus*
Deus tibi, atque trina secla Nestoris.

Quod ex animo precab.
CASPARUS **Eggerdes** / Rostoch.
Megap. SS. Theol. Stud.

30. Adr: Heinrich Hein – Aut: Adam Schaffer (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
GRATULATIO

Plaude Decus Sophiae, et nostri bene plaude Lycei!
Sic Tua Te Virtus sic sic in Sceptra reponit
O ingens HEINI, decus immortale Lycei,
Vir Pietate, probus nulli es probitate secundus.
5 *Scilicet exactum calles jam doctus ad unguem,*
Quid Themidos, quid sit Virtutis munere fungi:
Hinc ob utrumque reor, quod quovis indice, clarus
Eunomiae Doctor Themidosque Professor amicae.
Sic et ob hoc ipsum, vel quovis iudice, clarus
10 *Judicij Adessor; nunc idem Rector et audis*
Dorpatici Magnus Parnassi, maxime Fautor.
Hinc ob utrumque reor, quod dignus amore et honore.

¹⁰ *pocla* H U metri causa

Scilicet exactum calles jam doctus ad ungvem,
 Quid Themidos quid sit Virtutis munere fungi.
 15 O ingens HEINI, decus immortale Lycej,
 Sic Tua Te Virtus sic sic in Sceptra reponit,
 Plaude Decus Sophiae, et nostri bene plaude Lycej.

Moris et Honoris E. gratulab.
 adproperabat
 ADAMVS SDHAFFERVS
 Med. Stud.

31. Adr: Heinrich Hein – Aut: Fridericus Heinius (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
 GRATULATIO

*Sic iterum, Venerande Parens, Duce et Auspice Christo,
 Christo, qui coeli Regia Sceptra tenet,
 Te Dorpatensis jam Academicus ordo Senatus
 Rectorem creat hoc munere Magnificum.
 5 Te Grex Aonius laetis amplectitur ulnis,
 Proque Magistratu gaudet habere suo.
 I pede felici, quo te vocat inclyta virtus:
 Te Duce, constanter gaudia Phoebus amet.
 Ipse Pater rerum tibi clemens adsit Iöva,
 10 Prosperet et clari muneris acta tui.
 Sic bene Magnifico claresces semper honore,
 Et pia Posteritas dixerit acta rei.
 Sic haec orta dies tibi jucundissima! Dicam,
 Salve exorta dies, fausta futura meis.*

Sic Patri suo charissimo filiali-
 ter gratulatur
 Fridericus Heinius.

32. Adr: Heinrich Hein – Aut: Michael Hochenius (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
 GRATULATIO

Dum virtute tua dignum, dignissime RECTOR,
 Egregium officium Magnificumque subis:
 Offertur merito tibi, dico; et grator honori
 Magnifico, Musae et nectare quique calet.
 5 Vive diu, et felix nobis, dignissime RECTOR,
 Vive ac in laudem cresce subinde DEI.

Michael Hochenius Transyl.

33. Adr: Heinrich Hein – Aut: Friedrich Kühn (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
 GRATULATIO

*Scilicet ut tendens ad summa cacumina montis
 Primum lassatur, deinde quiescit ovans:
 Sic conscendenti sublimis culmen honoris
 Post varios casus gloria pulcra datur.
 5 Et tibi sudanti dudum, venerabile pectus,
 Virtutis merces, gloria dulcis adest:
 Nempe tibi clarum, tua MAGNIFICENTIA, nomen
 Iam datur, et RECTOR munere Magnificus.
 Gratulor ergo tibi tanto de nomine, virtus
 10 Quod dudum meruit: sit tibi faustus honor!*

*Incolumis vivat tua MAGNIFICENTIA, coepto
Scrutator cordis semper adesse velit!*

Debitae observantiae et honoris E.
gratulabatur
FRIDERICVS **Kühn** / Osilia
Liv. Arensberg.

34. Adr: Heinrich Hein – Aut: Christian Eberhardt (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
GRATULATIO

Res Claris praeclara Viris, sed plena laboris,
Aoniae celsae scepra tenere domus.
Munere enim gravium Procerum generosa probantur
Pectora, quae meritis et pietate micant.
5 Hoc tibi honoris onus, decus immortale Lycei,
Aeternum Columen praesidiumque meum,
Tradit Athenaei Dorpti censura Senatus
Dum dat Musarum jura regenda tibi.
Fata ergo aspirant: voveo, Clarissime Doctor,
10 Vt peragas munus prosperitate novum.
Sic Salvatoris cumuletur gloria summi
Floreat et crescat docta Heliconae cohors:
Vsque tuum nomen vulgetur fama in orbem,
Quae non extremis sit moritura rogis.

Hisce Mecoenati suo aeternum colendo
gratulari voluit
CHRISTIANVS **Eberhardt** /
Gryphisw. Pomer.

35. Adr: Heinrich Hein – Aut: Ulrich Volbergen (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
GRATULATIO

*Exoritur novus exactis nunc mensibus actus,
Actus qui cunctis júbila laeta parit:
Cum tibi Magnificum Regimen Sceptraque Lycei
Musarum Praeses, doctus Apollo dedit.
5 Dignus es, o Themidos Doctor, quem mactat, honore
Virtus: Tu dignus ferre brabea data.
Dignus MAGNIFICI RECTORIS nomine, dignus,
Gloria quem Sceptri parta labore manet.
Hinc te circumstant Charites, Nymphaeque sorores,
10 Atque tuis meritis carmina digna canunt.
Gratatur pubes studiosa; caterva Sophorum
Applaudens, laudes tollit ad astra tuas.
His me conjungo, et pleno tibi gratulor ore;
Faustum sit regimen, faustaque Sceptra diu.*

Haec pauca debiti officij ergo
lubens apposuit
Ulricus Volbergen
Riga-Livonus.

36. Adr: Heinrich Hein – Aut: Martin Henschel (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
GRATULATIO

Praemia si doctis doctus promittit Apollo:

Si datur augustis laurea digna Viris:
 Jure tibi mittit jam praemia doctus Apollo,
 Teque virum augustum laurea pulcra manet;
 5 Nam dudum Juris-Consultus jure vocaris,
 Doctorisque diu nomen et omen habes.
 Ergo haud immerito RECTOREM Heliconis amantem
 Te nunc MAGNIFICUM docta Minerva creat.
 Gratulor inde tibi, RECTOR venerande, quod hocce
 10 Sceptrum sis nactus: Det tibi fausta DEUS!

Idem.

Εἰ καλὰ παιδευτοῖς νέμει ἀνδράσιν ἄθλα Ἀπόλλων:
 εἰ δίδοται στέφανος δάφνινος ἔυπρεπέσιν:
 Ἀξιά σοι πέμπει νῦν ἄθλα δίκαιος Ἀπόλλων,
 Καὶ σοι κεδνοτάτῳ προσφέρεται στέφανος·
 15 Ἔσσι γε ἐκ πολλοῦ σοφὸς, ἠδὲ δικαστικὸς ἀνήρ,
 Ἦδὲ διδάσκοντος φαίδιμον οὖνομ' ἔχεις.
 Τοῦνεκα ἡμετέροιο κλυτοῦ ἄρχοντα λυκείου
 Κυδάλιμον το πλῆθός σε προφέρουσι σοφῶν.
 Τούτου συγχαίρω σκήπτρου σοι, Φέρτατε ἄνερ,
 20 Του βίου ἐυχόμενος χρήσιμα πάντα σέο.

MARTINUS HENSCHELIUS
 Wrizen. March.

37. Adr: Heinrich Hein – Aut: Volmar Holtzhausen (cf. 22)

H, [Tartu UB], [UUB (def)]
 GRATULATIO

Ne reliquis docte dicentibus, o mea Musa,
 Exilis quamvis, videaris sola tacere;
 Laeta canas, quantum potes, atque silentia rumpas,
 Dignum hunc laude virum tollas ad sidera honore
 5 Tergemino; et celebres, quantum jam voce valebis,
 Quem decorat gravitas fastu jucunda remoto,
 Quemque novem Nymphae potarunt nectare dulci,
 Et cui Magnificos in Apollinis agmine fascas
 Dat Dorpatensis jam nunc Academia habere.
 10 Est hic, cui cordi sunt altum Heliconae petentes,
 Quisque suum studium omne in eorum commoda confert,
 Artibus insignes ut tandem evadere possint.
 Ergo hic in longam producat fata senectam,
 Officioque dato summus benedicat JÖVA.

Honoris et fausti ominis E. scripsit
 VOLMARUS Holtzhausen
 Revalia Livonus.

38. Adr: Johannes Jonae <Carolstadius> – Aut: Ericus Haquini Bobergius (Oratio de liberalitate: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 15 Maji, anno 1639. publice /.../ enarrabat Johannes Jonae Carolstadius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1639: Lit. acad.)¹¹

SKB, Karlstad StB, [Tartu UB]

¹¹ Cf. in SKB et UUB *Oratio de liberalitate: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpato est /.../ die < > Maji, anno 1640. publice /.../ enarrabat Johannes Jonae Carolstadius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Lit. acad.* Argumentum idem et gratulationes eadem.

GRATULATIO

*Humanissimo et Literatissimo Dn.
PERORANTI.*

*Egregia est virtus depromere munera larga,
Quod mi, JANE, refers ore decente tuo:
Hanc cole virtutem studio per tempora vitae,
Sic tibi post cineres inclyta fama manet.*

Ericus Haquini Bobergius.

39. Adr: Johannes Jonae <Carolstadius> – Aut: Laurentius Olai Morenius (cf. 38)

SKB, Karlstad StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Est virtutis opus, virtutis dicere laudes;
Hoc tu, JANE, facis dum pulpita celsa Lycej
Scandis, et exponis fluitantis munere linguae,
Quid sit munifica depromere munera dextra.*

Laur. Olai Morenius.

40. Adr: Johannes Kemnitiuss – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio in salutiferam passionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, typos, quibus Christi passio in Moyse atque prophetis fuit praefigurata, breviter exponens: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ ipso die Parasceves anno 1639. publice /.../ enarrabat Johannes Kemnitiuss, /.../ - Dorpati Liv., 1639: Typ. acad.)

SKB, Växjö LB, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctissimo et Ornatissimo
DN. PERORANTI.
JOHANNES CEMNITIUS;
Per Anag.
HINC INSTO; JESU MANE.*

5 *Sic nihil in JESV mihi clauditur! omne reclusum
Cor patet: est transfixa Caro; simul intima cerno
Viscera. Distendit pia Brachia, quo attrahat ad se
Judaeos Gentesque omnes, quibus omnibus offert
Amplexus, rivos et sancti flumina Amoris.
HINC INSTO, INSTO; MANE mecum, dulcissime JESV;
Et lucem in tenebris, vitamque in morte videbo.*

Quod ap.
LAVRENTIVS LVDENIVS, J.V.D.
et Professor.

41. Aut: Haquinus Andreae Kylander – Aut: Johannes Holm (Oratio in felix novi anni auspicius; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 3. die Januarij, anno M.DC.XXXIX. publice /.../ enarrabat Haquinus Andreae Kylander, /.../ - Dorpati Liv., 1639: Typ. acad.)

SKB, UUB, LNB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Iuveni Literis moribusque cultissimo
Dn. HAQVINO A. KYLANDRO,
de Novi Anni auspicio publice docteque peroranti,
Amico et Sympatriotae suo peramando.*

Sic Vetus auspiciis felicibus exijt Annus,

*Se inque suos gyros motibus astra rotant.
Aurea fluxerunt; nostra, in pejora senescunt
Tempora, et adversis obvia cuncta malis.*

5 *Undique jactantur mala toxica, fulminat armis
Mars, rabidoque fremit dente cruenta manus.
Quid coeli facies? quid hiulca tonitrua frendent?
Vel quid portendunt horrida sceptru soli?*

10 *Haec tua perpendit lectissima lingua; Lycei
Unde tua clare pulpita voce sonant.
Omnia, quo praesens redeat feliciter Annus
Optas; vis, patriae commoda cuncta fluant.
Ulterius gnavum studiis intende laborem,
Sic tibi per Musas fama perennis erit.*

JOHANNES Holm / Norcop.

42. Adr: Haquinus Andreae Kylander – Aut: Andreas Danielis (cf. 41) SKB, UUB, LNB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Navis ut a ventis jactatur in aequore vasto,
Sic Hominum varijs vita repleta malis.
Praelia nos torquent, sinuat se multa famesque,
Nostraque tabificus corpora languor habet.*

5 *Omnia mirae tuae monstrat facundia linguae, et
HAQVINE, eximie vena diserta probat,
Dum felix Anni auspiciu per vota precaris
Ut venia admissi criminis ampla siet.*

10 *O coeptum dextre pergas transmittere cursum,
Sic tua fama micat, sic tua vita nitet.*

ANDREAS DANIELIS, O. Gothia Svec. TH St.

43. Adr: Haquinus Andreae Kylander – Aut: Nicolaus Petri Drysander (cf. 41)
SKB, UUB, LNB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Otia nulla tuis studiis concedis, HAQVINE,
Annum quando notas rite colore novum.
Incoeptis insta, Christumque ardentem adora,
Post dulces fructus ferre laboris erit.*

NICOLAUS PET. Drysander
Ost-Gothus.

44. Adr: Petrus Langius – Aut: Laurentius Ludenius (<Disputatio de> oeconomica: quae, /.../ in Regia
Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 6. die Februar. anno 1639. /.../ disputationis exercitio, /.../
publice /.../ committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Petro Langio, /.../ - Dorpati
Livonoru, 1639: Lit. acad.) Göttingen UB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Praestantiss. et Humaniss. Dn.
RESPONDENTI.
PETRUS LANGIUS;
Per Anagr.
SALUS PINGETUR.*

*Alma Domus quacunque SALVS, PINGETVR: Apelles
Alter ades, quando PINGis id Artis opus.*

Quod animitus pr.
LAURENTIUS LUDENIUS
J.U.D. et Professor

45. Adr: Petrus Langius – Aut: Adrianus Verginius (cf. 44)

Göttingen UB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Qua ratione domus bene sit curanda, volutat
LANGIUS, ut tandem sit bonus Oeconomus.
Judice me, LANGI, prudenter talia volvis,
Praebet enim lucrum provida cura domus.
5 Nec certe exiguam, LANGI, laudem inde reportas,
Quod curanda doces qua ratione domus.

Adrianus Verginius, Julino-
Pomeranus, Eccl. Nügg. Pastor, et
Scholae Senat. Dorp. p.t. Moderator

46. Adr: Petrus Langius – Aut: Andreas Sandhagius (cf. 44)

Göttingen UB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Scitorum Sophiae perite LANGI,
Quidni, practica scripta si Sophorum
Arrident animo, juvat referre,
Clari Principis, aut gravis Senatus
5 Quae sint munia, quae sient decora?
Cur, quaeso, potius lubet, periti
Partes, quae Oeconomi sient, docere:
De Sponsalibus et novis Maritis
Cur conferre magis placet loquelas?
10 Sortem nempe tuam tenere mavis;
Hocque exercitio parare mentem
Rebus propediem cupis gerendis,
Felix auspiciam, precor, gerenti
Discentique sit, ut queas probata
15 Doctis dicere; sis (brevique fias)
Felix Oeconomus, bonus Maritus.*

Ita ludens vovebam
ANDREAS SANDHAGIUS
Northusanus.

47. Adr: Petrus Langius – Aut: Hermann Swemler (cf. 44)

Göttingen UB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Haec tria Thespiadum sensim remorantur alumnos,
Turpis, iners, coecus, crapula, somnus, amor.
Haec tria commendant illos et honoribus ornant
Sobria, nava, piae, vota, Minervae, preces.
5 Otia blanda fugis; Christo Duce, strenue ab imis
Sedibus ad summos niteris ire gradus.
Oeconomum ostendis: quondam aurea vellera habebis
Oeconomus quae olim Phasidos ora tulit.

Suo Langio
HERMAN. SWEMLER

48. Adr: Petrus Langius – Aut: Andreas Verginius (Μηλέτη theologica de μελιτημέροις prophetae verbis Esa. 53. v. 5. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et vibice ejus sanati sumus. Quam /.../ in Regia Livonum /.../ Academia Gustaviana, praeside /.../ Andreae Virginio, /.../ publicae συζητήσεις subjicit Petrus Langius, /.../ ad diem <> Martij /.../ - Dorpati Livonorum, 1639: Lit. acad.) EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

In Disputationis Materiam.

*Protulit hanc olim perversus Apella loquelam:
 Saepius abjicitur mentio clara virum.
 Qui fit, ut et Jesu crucifixi oblivio vestras
 Non capiat mentes? Vox Bovis ista fuit!*
 5 *Qui capit in coelum transferri talia nunquam
 Eructet, prohibent hoc sacra jussa DEI:
 Crebra Redemptoris potius pia mentio fiat,
 Pro nobis siquidem passio facta DEI.
 Inde jubet Pietas, Lex aequi poscit, ut omnes*
 10 *Christiani Christi vulnera sancta notent:
 Svadet idem fructus, vult hoc aeternaque vita,
 Qua Christo speras adveniente frui.
 Suscipis ergo pium, Langi peramande, laborem,
 Dum de morte DEI verba diserta facis.*
 15 *Sufficiensque λύτρον Christi defendis acute:
 Laus erit hic, illic gloria magna tibi.*

Lubens adjecit
 ADRIANUS VERGINIUS, Julino-
 Pomeranus Ecclesiae Nuggensis Pastor
 et Scholae Senator. Dorpat. p.t.
 Moderator.

49. Adr: Petrus Langius – Aut: Hermann Schwemler (cf. 44)

EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Laude supersedeo, nec enim generosa requirunt
 Vina hederam: utilitas ipsa probabit opus.*

Herm. Swemler.

50. Adr: Petrus Langius – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 44)

EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Vulnera respiciens Christi svavissime Langi
 Dignus laude tuus plausibilisque labor!
 Innocuus patitur REX Regum, criminis insons,
 Quem laqueo fixum sarta cruenta premunt.*
 5 *Insontis peperere TIBI data flagra salutem;
 Sana et in illius membra cruore tua.*

Amicitiam contestandi gratia
 adjecit
 Jacobus Lotichius

51. Adr: Petrus Langius – Aut: Johannes Kemnitiu (cf. 44)

EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*In studio et stadio sancti, mi Petre, laboris
 Si pergis, Patriae commoda multa dabis.
 In studio verae pietatis pergere crebro*

- Si tendis, fama sidera alta volas.
 5 Perge, tuis laetum cursum conatibus opto,
 Ut labor iste tuus, sit brevis atque levis.

f.
 Johannes Kemnitius,
 Dorp. Livonus.

52. Adr: Ericus Petri Lerbeckius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio philosophica de sensibus internis; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est sub praesidio /.../ Michaelis Savonii, /.../ pro magisterii philosophici privilegis et immunitatibus consequendis, publicae disquisitioni et censurae, ad diem <16> Octob. /.../ submittit Ericus Petri Lerbeckius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1639: Typ. acad.) SKB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo Dn.
RESPONDENTI.
 ERICUS PETRI LERBECCIUS
Per Anag.
 IS PIUS; ECCE CURRET LIBER

IS PIVS; ECCE Deo Duce, CVRRET LIBER ab omni
Malo mali discriminis;
Pieriis meritum sertis ornabit Apollo,
Lauro volens cinget comam.

Quod in felix auspiciam
 app.

LAURENTIUS LUDENIUS, Holsat. PH.
 et J.V.D. ac Professor Juris, Orat. et Poëseos.

53. Adr: Ericus Petri Lerbeckius – Aut: Isacus Sicrenius (cf. 52)

SKB, H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

- Qui Sophiae sacris, sudore operatur honesto,
 Ipse operam cum spe divite rite locat.
 Namque sui gnavum cultorem, ponit Honoris
 In currum, et clarum tollit Apollo virum.
 5 Dum Mysteria Naturae, <r>imaris acute,
 Et passu Sophiae curris eunte viam,
 LERBECKI, veluti meruit Virtusque laborque
 Ecce Comes temet gloria vera manet.

Moris et amoris ergo appos.
 M. Isacus Sicrenius Holm.

54. Aut: Ericus Matthiae Litorinus – Aut: Johannes E. Stregnenis (Disseratio theologica de bonis operibus, /.../ in Regia Academia Livonum Gustaviana sub praesidio /.../ Andreae Virginii, /.../ publicae ventilationi proposita ab Erico Matthiae Roslagia-Sveco /.../ die 3. <5.> Augusti. – Dorpati Livonorum, 1639: Typ. acad.) SKB, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Praestantissimo atque Doctissimo Viro-Juveni
 Dn. ERICO MATTHIAE Roslagia-
 Sveco, Philosoph. Cand. Thesium harum
 Authori, Fratri et Amico unice dilecto.

LATONAE PROLES, magnus Crinitus APOLLO,
Per quem concordant singula coepta tua,
Ingenij dotes tibi magnas indidit ille,

5 *Vt Musis Sacris pectora nata geras.*
Rorantem ingenij curvamine temperat arcum,
Vt vigil<e>s Musis sedulitate sacris.
Hinc SOPHIAE spissas sulcasti Vomere arenas,
Obveniant istinc munera magna tibi.
Nunc Librum vitae scrutaris pectore laeto,
 10 *Et pia pro Christi nomine bella geris.*
Qui cupis assertor doctrinae illius haberi,
Perlegis, inque pium lecta reducis opus.
Hinc te laude cano, bene te quoque dignor honore,
Dum Studio Sacro praemia summa paras.

Ita gratulari voluit ac debuit
 Johannes E. Stregneus
 Philosoph. Cand.

55. Adr: Petrus Andreae Schomerus – Aut: Andreas Virginius (Disputatio theologica solennis, de libero arbitrio, tum in genere, tum in specie, Dei, angelorum, diabolorum et hominum, juxta quadruplicem eorundem statum, quam, /.../ in Reg. Acad. Gustaviana, quae Dorpati est praeside /.../ Andreae Virgino, /.../ pro gradu in theologia summo consequendo, publicae disquisitionum et censurae submittit /.../ Petrus Andreae Schomerus /.../ ad diem 25. Septembr. /.../ - Dorpati Livonorum, 1639: Typ. acad.) SKB, UUB, Växjö LB, H, LAB, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Προσφωνήματα

Quibus

Reverendo et Clariss. VIRO

Dn. M. Petro Schomero,

SS. Theol. Candidato, et Profess. in Regia Aca-
dem. GUSTAVIANA Ordinar. designato,

Pro Summo in Theolog. gradu publice disputanti,

Gratulantur Collegae et Amici.

Dum gemino felix ardet SCHOMERUS amore,
 Nempe piae Sophiae et Nobilis Eusebiae;
 In solidum fertur se devovisse duabus,
 Nempe piae Sophiae, Nobili et Eusebiae.
 5 Sit felix! solvit simul illis vota duabus,
 Dicetur Sophiae DOCTOR et Eusebiae.

Aliud.

Multum divina posuisti tempus in arte;
 Hinc inter Doctos nobile nomen habes.
 Clarus es ingenio; mentis felicia praesens
 10 Arguit examen dona, SCHOMERE, tua.
 Te Docti merita cohonestant laude, tibi que
 Optant ex animo prospera fata, viri:

Queis sua sincero jungit de pecto-
 re vota
 ANDREAS VIRGINIUS D.
 et P.P.

56. Adr: Petrus Andreae Schomerus – Aut: Georgius Stiernhielm (cf. 55)

ANAPESTICUM PARTHENIACUM.¹²

*Qvo te nunc Enthea vasti
 Virtus rapit Ingenii, qvo
 Veheris, venerande Magister?
 Quo scandis, Amice SCHOMERE?*
 5 *Necdum vis sistere cursum?
 Tu, qui modo vim Numerorum
 Doctae monstrare juventae
 Arcanam, et solvere duros,
 Nectit quos ALGEBRA, gryphos*
 10 *Magna cum laude solebas;
 Et in Artibus ARCHIMEDAEIS
 Noctesque diesque sueras
 Insumere; Quique figuras
 Dextre varias meditari*
 15 *Atque enucleare solebas;
 Qui claves candidi Olympi
 Tractasti; Qui reserare
 Astrorum fata potenter
 Terrae impendentia nosti.*
 20 *Qui casus SOLIS et ortus
 Numeras, LVNAEque labores.
 Cui nota ferocia MARTIS,
 Cui MERCVRII astus et error,
 VENERISque IOVISque benigni*
 25 *Aspectus, diaque virtus;
 Mora SATVRNIque nota omnis.
 Quem maximo in aethere nullum
 Aut Schema, aut Thema latere
 Potuit. Te non satiant haec?*
 30 *Coelos transcendis et Astra.
 Tu Solem despicias, Arcton
 Superas geminam, rutilorum
 Longe volitans super ignes
 Astrorum; COELICOLIS TE*
 35 *Dum MENTIBVS insinuare
 Pergis; dum mystica curas
 Iussa Omnipotentis, et ejus
 Patefit tibi sancta voluntas,
 Tu caetera deseris; ILLI,*
 40 *Qui Coelos, qui Mare, Terram,
 Fabricavit, et omnia, adhaerens,
 ILLVM Tu amplecteris VNum,
 Studiis dum THEIOLOGIAE¹³*

¹² Cf. Samlade skrifter av Georg Stiernhielm. Utgivna av Johan Nordström och Bernt Olsson. In: Svenska Författare utgivna av Svenska vitterhetssamfundet VIII. Första delen, andra bandet, fjärde häftet. Lund: Bloms Boktryckeri AB 1987, Editio 170-172, Commentarium 589-590.

Vigilas; et te speciosis
 45 *Israelis fontibus abdis. (Vulg. Ps. 67.27)*
Perge, eia, ut pergis, et instant
Non solum Heliconia sarta;
Verum et tua tempora cinget
Decus aethereum, decus alium,
 50 *Decus immortale, quod optas;*
Dia redimita Corona
Aeternum frons radiabit.

Ex sincero congratulationis affectu
 adpositum a
 Georgio Stierhelm Nob. Sveco,
 supremorum in Livonia Judic.
 Regionum Adessore.

57. Adr: Petrus Andreae Schomerus – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 55)

SKB, UUB, Växjö LB, H, LAB, EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

M. PETRUS ANDREAE SCHOMERUS.

Per Anag. geminum;

RE MUSAE DECUS; REM PORTANS:
 TERRA DECUS MUSAE PROMENS.¹⁴

Clare Vir; insignem te Pallas reddidit Arte,
Edocuit felix Eusebia, Vrania.

Musae Embecciadēs Nomen memorabile dicunt,
Re Genij laudes uberiore canunt:

5 *Narrant; RE MVSAE DECVS est, REM pectore PORTANS*
Quando salutifero corda lepore creat,
Quando sacras Iuvenum dotes cum mente reponit,
Quando voce Bonos instruit, Arte Bonos.

10 *TERRA DECVS MVSAE PROMENS est Svecica; PROMENS*
Est MVSAE Levonum TERRA beata DECVS.

Sit faustum et felix: Christo Duce et Auspice Christo,
Promeritas Lauru cinget Apollo comas:

Et data vivaci decorabunt secula laude,
Dum MVSAE PROMENS Patria TERRA DECVS.

Quod ipsum Collegae suo devene-
 rando animitus exoptabat
 LAVRENTIVS LVDENIVS,
 Holsat. PH. et J.V.D. Profes-
 sor Juris, Orat. et Poëseos.

58. Adr: Sveno Spinerus – Aut: Nicolaus Olai (Dissertatio theologica de justificatione, /.../ in Regia
 Academia Livonum Gustaviana, sub praesidio /.../ Andreae Virginii, /.../ publicae ventilationi
 proposita a /.../ Svenone Spinero /.../ d. 29. Novemb. <7.2.1640>. – Dorpati Livonorum, 1639: Typ.
 acad.) SKB, UUB, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Claritate, Doctrina et Humanitate conspicuo
Dn. RESPONDENTI.

¹³ THEIOLOGIAE edd metri causa

¹⁴ Anagrammata non recte constructa

Quid *proprium meritum*? *Infusum* quid? *Quale et inhaerens*?

Num possunt homines haec justificare beate?

Absit. Namque Dei solum nos Gratia salvat;

In *merito Christi felix fiducia* vivit.

5 Ardua proponens haec dogmata, *Clare Magister*,

Salvifica illustras animos atque imbuis Arte:

Candidus hinc quondam mirabere limen Olympi.

Honoris et amoris causa gratul. fudit
M. NICOLAVS OLAI Calmariensis.

59. Adr: Ambernus Andreae Storch – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de peregrinatione: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 13. die Martij anno 1639. publice /.../ enarrabat Ambernus Andreas Storch, /.../ - Dorpati, 1639: Typ. acad.) SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctiss. et Humanissimo Dn.

PERORANTI.

Pulcrum est; Mortales peregrinas visere terras,

Et multa a pueris praeter sua littora nosse.

AMBERNE, Eusebiae et Sophiae pulcerrima Pubes,

Sit faustum et felix; Christo Duce et Auspice Christo,

5 Allicis, ut Boreae extremo damnata sub axe

Stagna petam, et rigidis nunquam non cana pruinis;

Et Libyae rapidas Austrique tepentis arenas

Aspiciam, et nigros populos, Solemque remotum.

I bene; quo tua te Virtus vocat, i pede fausto,

10 Et tua narrentur per totas Nomina terras.

Quod animitus app.
LAURENTIUS LUDENIUS, Holsat.
Ph. et J.V.D. ac Professor.

60. Adr: Ambernus Andreae Storch – Aut: Ericus Haquini Bobergius (cf. 59) SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Est pulcrum, fateor, Patriam lustrare paternam,

Et non in matris ponere membra sinu.

Pulcrius est multo peregrinas visere terras,

Non semper patrij rura videre soli.

5 *Qui sic? Spectantur domibus decorata superbis*

Oppida et ex solido marmore templa sacra.

Discuntur mores varij, discuntur et artes,

Virtutis studium crescit et artis amor.

Ante o qui timuit maris undas atque procellas,

10 *Ille audet valida nave secare freta.*

Qui timuit, cum forti audet certare leone,

Infractoque animo fata subire mala.

Hoc, AMBERNE, docet tua nos Oratio docta,

Quam Lector jugi sedulitate leges;

15 *Sic bene percipies, data quod lustratio terrae*

Hinc peregrinanti commoda multa ferat.

In felicem Abitum et Reditum.

*O AMBERNE, tibi quae jam sententia surgit?
 Vis nunc ad Patrij tendere tecta soli?
 Non obstare tuis possim conatibus aequis,
 20 (Fumum ego de patriis opto videre focus).
 Ergo precor salvus redeas ad tecta paterna,
 Et salvus redeas. Frater amande, redi.*

Honoris, amoris et moris ergo scripsit
 ERICVS HAQVINI BOBERGIVS,
 W. Gothia Svecus.
 Ill. et Gen. Dn. An. **Cr. H.** Gub.
 Rig. Liv. stipend.

61. Adr: Ambernus Andreae Storch– Aut: Ambernus Laurentii Muraeus (cf. 59)

SKB, UUB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*O AMBERNE, mihi cognato sanguine juncte,
 Exponis miro facundae munere lingvae,
 Quae fiet utilitas, multum telluris obire,
 Nec non fluctivagum conscendere navibus aequor.
 5 Non ignota refers: nam te duxit tua virtus,
 Per varias terras, atque aequora concita ventis,
 Queis ita lustratis, patrios jam vise Penates.
 Te DEus astripotens comitetur, coepta secundet,
 A cervice tua propellat fata maligna.*

Quod animitus precatur
 AMBERNUS LAURENTII MURAEUS,
 W. Gothia Svecus.

62. Adr: Ambernus Andreae Storch – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 59)

SKB, UUB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*In Sophiae multum sudas, AMBERNE, vireto
 Phoebi subsidio, Palladis auxilio.
 More vel ursorum fingis lingisque cerebri
 Foetus atque favos, Numinis auspicio:
 5 Dum peregrinantum varios profare labores,
 Ostendis fructus deliciasque simul.
 Laus ea permagna est, varias invisere terras:
 Et non in patrijs usque latere focus.
 Sic perge, ut pergis, Clarijs ornate Camoenis
 10 AMBERNE, et Phoebus praemia laura dabit.
 Quod superest, sine fine precor; Moderator Olympi
 Te salvum in patriam promoveat reducem.
 Hoc precor. Hoc capias synceri pignus amoris:
 Vtere successu prosperiore. VALE.*

In tesseram sincerae amicitiae et fra-
 ternitatis deproperabat
 PETRVS CAROLI VNDENIVS,
 W.-Gothus S.

63. Adr: Petrus Caroli Udenius – Aut: Ericus Haquini Bobergius (Oratio de ira; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 11. Maji, anno 1639. publice /.../ enarrabat Petrus Caroli Udenius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1639: Typ. acad.) SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Eruditione et moribus Ornatissimo Iuveni,
 Dn. PETRO CAROLI UNDENIO
 erudite et diserte de IRA peroranti, Amico
 suo syncere dilecto.

Irarum multi volvunt sub pectore fluctus;
Sed pauci, vere, quid siet Ira, sciunt.
At tu, PETRE, sacrae decus immortale Camoenae,
Nestorea lingua, quid siet Ira, doces!
 5 *Affectus alios proprio sic pinge colore;*
Et surgent rerum commoda multa tibi.

Ericus Haquini Bobergius, W. G. S.

64. Aut: Sequardus Olai Wallander – Ericus Haquini Bobergius (Oratio de felicitate: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 27. Aprilis, anno 1639. /.../ publice habebat Segvardus Olai Wallander, /.../ - Dorpati Livonorum, 1639: Typ. acad.)

SKB, Växjö LB, H, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Humanissimo et Literatissimo Peroranti
 Dn. SEGVARDO OLAI WALLAN-
 DRO WW-Gothia S. Amico suo
 syncere dilecto;

Perge Bonum Summum vigilantia quaerere cura,
Illius et laudes Ornatis dicere verbis,
Tempus in omne tuum.
Hinc tibi surget honor longo durabilis aevo,
 5 *Atque favente Deo, perdulcia gaudia, nullo*
Emoritura die.

Ita gratulari debuit ac voluit
 ERICUS HAQVINI BOBERGIUS
 W. Gothia S.

65. Adr: multi (Magnificis /.../ viris in /.../ Republica Rigensi Patribus Patriae Dn. Burgravio, consulibus, syndico, senatoribus, mecoenatibus et promotoribus suis /.../) – Aut: Jacob Friedenreich (Dissertatio theologica de Deo in essentia uno, et in personis trino. Quatuor dictorum classicorum. Ex Deuteron. 6. v. 4., Psalm. 33. v. 6., Matth. 28. v. 19., 2. Corinth. 13. v. 13. ἀνάλοισιν; et praecipuorum erotematum ἐξήγησιν exhibens in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur praeside Andrea Viriginio /.../ respondente Jacobo Friederich /.../ d. <> April. /.../ - Dorpati Livonorum, 1639: Lit. acad.) (cf. 18)

H, EAB, [Tartu UB]

DEDICATIO

Evnomia et Themidos Columen, venerande Senatus,
Delicium Patriae, Praesidiumque Bonis:
Multa equidem, fateor, Vobis ego debeo; Verum
Non est solvendo nostra Thalia, scio.
 5 *Fecero, quod possum: ceu possum, mitto tenellum*
Hoc scriptum. Faveat deliciosa Fides;
Si dabitis promptas sumpto in conamine vires;
Vivite felices, vivite et incolumes.

Devote precatur
 et exercitium hoc Theolog.

in Debiti honoris ac gratitudinis arrham
D. O. C.
JACOBUS **FRI EDERICH**
Respondens.

1640

1. ADR: Andreas Danielis – AUT: Laurentius Ludenius (Disputatio physica de morte: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 8. Julij, anno 1640. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Andrea Danielis, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Lit. acad.) SKB, H, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo Dn. ¹⁵

RESPONDENTI.

ANDREAS DANIELIS,

Per Anag.

ARDENS ADIS LENIA.

*Sic memor, ANDREA, fati Mortisque futurae,
LENI ARDENS animo LENIA dexter ADIS.
Paulatim emorimur, momenta extingvimur uno;
Hoc animis volvens LENIA semper ama.*

Quod g. app.
LAURENTIUS LUVENIUS,
J.U.D. et Professor.

2. ADR: Andreas Danielis – AUT: Johannes Holm (cf. 1) SKB, H, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

Aspera sunt rebus DAMnosae tormina mortis,
Causa Necans tumidis quae occulta meatibus Abdit.
Publicat AnDreas causas, evellEre duras
NItitur, expositis Radiatas arte figurIS.
5 Ardua plana Dolas, discursibus Eruis uncas
Laus Ne' est? mensuret rectae rationis Amussis.
Asperae inflatis vELis tua carbasa virtuS.

Mihi conjunctissimo hilari et fideli animo g.
JOHANNES **Holm** / Norcopens.

3. ADR: Andreas Danielis – AUT: Petrus L. Schonbergius (cf. 1)

SKB, H, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Qvolibet puncto, velut umbra, corpus
Morbidum nostrum sequitur subinde;
Mors ita et nosmet comitatur ipsos
Falce secante.
5 Dic quis hoc secum reputet virorum?
Foeminae, et vitam cupiunt senilem
Virgines comptae, simul ac Alumni,
Nestoris annos.
Singulis mens est eadem, voluntas
10 Vna vivendi. Morieris autem*

¹⁵ Gratulationes in exemplari H

*Foedus antiquum est; memorare pauci
Fata laborant.*

*ANDREA, sed tu venientis horam
Mortis evolvis, refricasque causas*

15 *Abditas: Te ergo celebrare pergit
Musicus ordo.*

*Abditas causas aperire perge
Mortis; Et mortis numera recessus:*

20 *Sic tibi nunquam veniet nociva
Parca futura.*

Fratri et contubernali suo dilecto
ita gratulari voluit
Petrus L. Schonbergius,
Ost-Gothia Svecus.

4. Adr: Ericus Haquini Bobergius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio practica de turbulentorum directione: quae, /.../ Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 26. die Septembris /.../ anno 1640. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Erico Haquini Bobergio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.) Västerås StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo

Dn. RESPONENTI.

ERICUS HAQVINI BOBERGIUS:

Per Anag.

HOC QVIA IN RE SUBIBIS: URGE.

*Artis opus, formare animos bene pacis ad usum,
Ne ferrum excussis egeant vibrare lacertis!*

HOC IN RE pulchrae Artis opus QVIA, Erice, SVBIBIS,

Per Veterum, ut fieri possit, praecepta reponens;

5 *VRGE HOC Artis opus: Christo Duce et Auspice Christo,*

Sic genus humanum positis sibi consulat armis.

Quod animitus ap.
LAURENTIUS LUDENIUS,
PH. et J.U.D. ac Professor.

5. Adr: Ericus Haquini Bobergius – Aut: Ericus Lerbeckius (cf. 4)

Västerås StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Fortiter Aonijs pergens vigilare Camoenis,
Assiduaque manu pervolvere scripta Sophorum,
Augustum nomen magnam laudemque meretur.
Recto, BOBERGI, contendis tramite ad ista.*

5 *Dum pulchrae instillas morum praecepta Juventae,
Et quod sit litis moderamen disseris apte:
Fortiter Aonijs perge invigilare Camoenis,
Assiduaque manu pervolvere scripta Sophorum,
Augustum hinc nomen, magnamque merebere laudem.*

Lubens apposuit
M. Ericus Lerbeckius

6. Adr: Ericus Haquini Bobergius – Aut: Ambrunus Andreae Storch (cf. 4) Västerås StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Optant Parnassi conscendere culmina montis,

*Nititur Aoniis invigilare choris;
Hoc quia, ERICE, facis rata per praecepta, BOBERGI,
Defendendo tuas dexteritate theses;
5 Gratulor hoc studium sincero e mentis amore,
Perge Aganippaeo fonte rogare caput.
Sic tibi, dum sanus vitali vesceris aura,
Laurigerae Musae praemia grata dabunt.*

Gratulab. apposuit
AMBERNUS ANDREAE **Storch**

7. Adr: Ericos Haquini Bobergius – Aut: Petrus Jonae Bock (cf. 4) Västerås StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Invigilans studijs est dignus honore futuro,
Et docti poterit nomen habere viri.
Illud, ERICE, facis doctrina orname, BOBERGI,
Quando tuere graves dexteritate theses.
5 Perge bonis avibus; Christo Duce et Auspice, perge
Excolere ingenium sedulitate tuum;
Sic poteris gratam studiorum tangere metam,
Et magnum inde tibi surget in orbe decus.

Amica manu et mente apposuit
PETRUS JONAE **Bock** /
Carolstadius.

8. Adr: Petrus Jonae Bock – Aut: Ericus Haquini Bobergius (Oratio de nativitate Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 24. Decemb. anno 1640. publice /.../ enarrabat Petrus Jonae Bock, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Lit. acad.)

SKB, UUB, Växjö LB, Karlstadt StB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Doctrina, Pietate et Humanitate Ornatissimo
Dn. PERORANTI,
PETRUS JONAE.
Per Anagr.
NAE, JUS PETRO.*

*NAE, sacrum PETRO JUS traditur: ille beate
Enarrat Christum pura de Virgine nasci.*

Animo et Calamo ita gratulatur
ERICUS HAQVINI Bobergius, W-Gothus.

9. Adr: Johannes Bussmann – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica, de peccato, quam in Regia /.../ Academia Gustaviana, publicae censurae /.../ proponebat sub praesidio /.../ Andreae Virginii, /.../ respondens Johannes Bussman, /.../ die 30. Septembris habita. – Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.)

Kalmar StB, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctissimo et Humanissimo
Dn. RESPONENTI.
JOANNES **BUSSMAN**:
Per Anag.
I BONUS, ME SANANS.*

*Eva nocens, vetitum decerpsit ab arbore pomum,
Et mundo quodvis intulit inde malum.*

Verum Christus adest; peccati mole gravatos
 SANat, et aeterno gratia fonte fluit.
 5 I BONUS o felixque, mihi Dulcissime Jesu,
 ME SANANS vitae crimina tolle meae.

Quod in felix omen accin.
 LAURENTIUS LUDENIUS
 Ph. et J.U.D. ac Professor.

10. Adr: Johannes Bussmann – Aut: Abel Lyre (cf. 9)

Kalmar StB, EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*O pudeat causam peccati dicere, Summum,
 CALVINE, esse Deum: Pagina sacra negat.
 BVSMANNIque negat bene Concertatio idipsum,
 Quae praesens multum commoditatis habet.
 5 Ergo animum, CALVINE, tuum, sustollere cessa,
 Propositum certe res negat ipsa tuum:
 Atque elisa nihil poterunt tua tela nocere;
 Aeterni Verbum permanet usque DEI.
 Hinc, BVSMANNE, tuas pulcras cantavero laudes;
 10 Et studio sacro praemia digna feres.*

L. Mque apposui
 ABEL LYRE, W-Gotha,
 Svecus

11. Adr: Johannes Bussmann – Aut: Johannes Petrus <Juncopensis> (cf. 9)

Kalmar StB, EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Nunc, BUSMANNE, tibi laudemque decusque mereris,
 Et facis officij munia sancta tui.
 Nam fidei articulos docte modo noscere pergis,
 Causas peccati discutis egregie.
 5 Gratulor, et pleno rata commoda ego apprecor ore,
 Dum sub VIRGINIO bella sacrata geris.
 Perge, velut pergis, sic te dignamur honore,
 Et Deus auxilio stante levamen erit.

In fraterni amoris et syncerae necessitudinis
 testificationem, conterraneo et fratri
 suo faciebat
 Johannes Petrejus Juncop.
 Svecus, LL. Stud.

12. Adr: Andreas Petri Folchov – Aut: Ericus Petri Lerbeckius (Oratio de pace: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 1. Julij, anno 1640. publice /.../ habebatur ab Andrea Petri Folchovio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.) SKB, Växjö LB, H, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Doctrina et Moribus Politissimo
 Dn. PERORANTI.*

Dum ruit in pugnas devoti sanguinis aetas,
 Tormenta et lituus classica dira canunt.
 Victricis Palmae, ANDREAS, succensus amore est,

Impatiens otii,¹⁶ bella novella ciet;
 5 At non Martis; Musarum sed castra revisit,
 Militat inque ipsis fortiter armipotens.
 Verba ubi pro telis volitant de ponte Cathedrae,
 Non agitur res vi sulphureisve globis.
 Perge hinc, Folchovi, Musarum castra revise,
 10 Victor et in bello praemia lauta refers.

Animo gratul. apposuit
 M. ERICVS PETRI LERBECKIVS.

13. Adr: Andreas Petri Folchov – Aut: Carolus Valeriani (cf. 12) SKB, Växjö LB, H, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Nulla fides mundo; PAX bello lassa laborat,
 Tempora temporibus vix bona mista malis.
 AUREA fluxerunt, ARGENTEA, et AENEA; torvo
 FERREA Marte strepunt, horrida bella tonant.*
 5 *Sic Pax crudeli mactatur sanguine; durum
 Vivendi seclum; vivere nulla salus.*

Paucula haec moris et amoris ergo
 apposuit
 CAROLVS VALERIANI,
 Nycopia Svecus.

14. Adr: Johannes G. Gezelius – Aut: Andreas Virginius (Disputatio theologica, in caput primum a v.
 15 usque ad finem D. evangelistae Johannis selectissimas notas exhibens in Regia Academia
 Dorpatensi publicae censurae subjicietur praeside Andrea Virgino, /.../ respondente Johanne G.
 Gezelio /.../ d. <21.> IX br /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.) SKB, BRAN, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Literatiss. et Humaniss.
 Dn. RESPONDENTI.*

*Noster Virginea Christus Puer editus alvo,
 Majestate DEVS, Carneque verus Homo.
 Temperies sacra Justitiae est Bonitatis et Almae;
 GEZELI, credens usque Beatus eris.*

ANDREAS VIRGINIVS, Nob. Pom.
 Haered. in **Schweßien** / SS. Theol. D. et Prof. pri-
 mar. nec non Proto-Synedrij Adsess.

15. Adr: Johannes G. Gezelius – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 14) SKB, BRAN, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*JOHANNES GEORGII GEZELIVS;
 Per Anagr.
 HIS O IN ZONA EGREGIVS, ELIGE.*

HIS O IN ZONA EGREGIVS, Christum ELIGE, coeptis!
 Et vitam in media morte videre datur.

Quod in felix omen ap.
 LAURENTIVS LUDENIVS,
 PH. et J.U.D. ac Professor.

¹⁶ otI edd

16. Adr: Johannes G. Gezelius – Aut: Olaus G. Salenius (cf. 14) SKB, BRAN, [Tartu UB]
GRATULATIO

Natales Christi pergīt narrare Johannes,
Illa Aquila aethereo rite sacrata Deo.
Haec et rimaris mysteria, dulcis Amice
GEZELI, merito gratulor inde tibi.
5 Apprecor, aeternus Deus ut tua coepta secundet,
Sic Ecclesiolae sic Patriaeque Bonus.
Donum exantlato virtus sudore refundit,
Laus manet in terris, Gloria in arce Poli.
OLAUS G. SALENIUS, Wesmannia
Svecus, Pastor in Ringen.

17. Adr: Johannes Gutsclavus – Aut: Jacobus Lotichius (Disputatio theologica de auctoritate et origine
SS. Scripturae: quam sub praesidio /.../ Andreae Virginii, publicae disquisitioni submittit Johannes
Gutsclavus /.../ Habita ad diem <>Augusti /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.)
UUB, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Ad Praestantissimum et Literatiss. Dn.
RESPONDENTEM.*

Heus! Sophiae mera adorea; Christiadosque dulce robur
Salutis! Ecquid nostra quit Thalia?
Quid quaeso valeat sterilis dare? Quippe crena spisse
Stillat; nec est, quo gratulor petenti.
5 Macte Novenfilium, bene macte sororum alacritate!
Non indigent praeconio probata.
Nec suadent hederæ mercarier optimum Lyaeum:
Sua Bonum virtute quodque splendet.
JACOBUS LOTICHIUS.

18. Adr: Jacobus Lotichius – Aut: Adrianus Verginius (Oratio de musica: quam, /.../ in Regia
Academia Gustaviana, /.../ die 4. Jan. anno 1640. /.../ enarrabat Jacobus Lotichius, /.../ - Dorpati
Livonorum, 1640: Typ. acad.) SKB, LAB, London BL, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

MUSICA
Per Anagr.
AMICUS.

Mvsica res grata est, fidus quoque gratus *Amicus*:
Musica nos mulcet, fidus *Amicus* amat:
Est homo inhumanus fidum qui spernit *Amicum*;
Artem cantandi qui fugit, ille furit.
5 *Musica* tristitiam suavi modulamine pellit,
Quam quoque colloquio, dulcis Amice, fugas.
Sint in honore igitur sacra *Musica*, fidus *Amicus*.
Musica, te veneror; *Lotichiumque* colo.

Symb.

10 Mea Vnica Spes Iesus Christus, Amen
Mein Vertrawen Steht I n Christum Allein.¹⁷

ADRIANVS VERGINIVS
 Julino-Pomeranus, Ecclesiae Nügg.
 Pastor.

19. Adr: Jacobus Lotichius – Aut: Martin Faxelius (cf. 18) SKB, LAB, London BL, EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Haud laus exigua est, sua labra rigasse liquore
 Aonio: dum dat Musa perenne decus.
 Hinc o Mercurij soboles, Jacobe, mereris
 Laudem, te quando Musica Musa beat.*
 5 *I bene quo tua te Musa et tua Musica pleno
 Ore vocant: nam te, Musica, Musa beant.*

Ita amico suo synceri dilecto
 gratulari voluit
 M. Martinus Faxelius
 Nerichia-Svecus.

20. Adr: Jacobus Lotichius – Aut: Hermann Schwemler (cf. 18)
 SKB, LAB, London BL, EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Lotichi Sais est mei canenda,
 Quamvis invidiae malum timendum.
Est Cantor bonus, est bonus Poëta,
 Ex qua re patet hoc? loquuntur illud
 5 Scripta haec, quae numeros sonant sonoros:
 Hinc cantu superat beatiore
 Vatem Threicium, lyra Catullum.
 Sic virtute decus pie paratur,
 Et mentis viget altae acumen altum.
 10 Non quid Marculus, aut Thraso bilinguis,
 Nec quid praepediet procax venenum
 Humani labii, nec Atrocopta?
 Quamvis invidiae malum timendum,
 Lotichi Sais est mei canenda.

Herman Swemler.

21. Adr: Benedictus Johannis Medenius – Aut: Laurentius Ludenius (Discursus politicus de regno: qui
 , /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 21. Nov. anno 1640. publice /.../
 disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Benedicto
 Johannis Medenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.) EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo Dn.
RESPONDENTI.
 BENEDICTUS JOHANNIS MEDENIUS;
Per Anag.

¹⁷ Cf. B. Ragotzky, 'Sinnsprüche aus Stammbüchern von 1550-1650'. *Vierteljahrschrift für Wappen-, Siegel- und Familienkunde*. 27. Jahrgang, Berlin 1899, S.418-419 Nr. 50, 51 und 73; F.-C. Freiherr von Stechow, *Lexikon der Stammbuchsprüche. Stechow's Stammbuchsprüche-Schlüssel (S.S.S.S)*. Neustadt/Aisch:Degener&Co, 1996, 162.

INSUNT: DOMINE JHESU, BENEDICAS.
Ingenio, Benedicte, INSUNT pulcherrima dona;
Mi DOMINE o JHESU, BENEDICAS omnibus, opto.

Ex animo ap.
 LAURENTIUS LUDENIUS,
 PH. et J.U.D. ac Professor.

22. Adr: Benedictus Johannis Medenius – Aut: Esbernus Leiman (cf. 21) EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Praeside dum Claro pergis moderamina rerum,
Progressus causas, diri interit usque docere,
MEDENI, dilecte pia probitate Sodalis:
Augusta exopto CHRISTINA, et Martia proles
 5 *Nobilis, ac fama multas memoranda per oras;*
Sceptra Atavorum hinc Arctoi que potentia Regna
Vsque beet, populum exornet, belloque triumphet,
Relligio vigeat; soevi formidine Martis,
Per mare, per terras, pro arisque focisque timendas
 10 *Constringat gentes, superet juvenesque senesque.*
Tuque decus Musae, BENEDICTE, Cacumina perge
Ardua Musarum, stabili transcendere nisu;
Patrono sic charus eris, Patriaeque, tuisque.

Quod ipsum animitus
 vovet
 Esbernus Leiman
 Roslagia-Svecus.

23. Adr: Laurentius Olai Morenius – Aut: Petrus Caroli Udenius (Oratio de salvifica Dei agnitione: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 31. Martij, anno 1640. /.../ publice /.../ enarrabat Laurentius Olai Morenius, /.../ Dorpati, 1640: Lit. acad.)

SKB, UUB, Karlstadt StB, H, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Doctrina et moribus Ornatissimo
DN. PERORANTI.

Sunt multis cordi simulachra et inania saxa,
Quae semper summa sedulitate colunt.
Sed tibi, MORENI, cordi sunt jura Tonantis,
Quem colis ex animo, pectore et ore pio:
 5 *Illum etenim doctae describis flumine lingvae,*
Quod Monas aeternum et sit Trias una, doces.
Perge, velut pergis; Summi Regnator Olympi
Adjuvet auxilio grande laboris opus.

Petrus Caroli Udenius W-Gothus

24. Adr: multi (N. Rubenio /.../, E. Pavlino /.../, P. Pavlino /.../, P. Pavlino /.../, M. Pavlino /.../, B. Jacobi /.../, J. Jonae /.../, P. Pavlino /.../, E. Pavlino /.../) – Aut: Josephus Paulinus (Oratio de veritate: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 8. Februarij, anno 1640. publice /.../ habebatur a Josepho Paulino, Ulsbecki Sveco. – Dorpati Livonorum, 1640: Lit. acad.) (cf. 51-52)

SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]
 DEDICATIO

Egregie dixit Cicero, dum talia dixit:
Quamvis non possint aequales cuique referri

Grates; ipse animus tamen has retulisse laboret.
Hoc ipsum quoties memori sub mente revolve,
 5 *Nil magis exopto, meritas quam solvere grates,*
Quod memet placide primis ornastis ab annis
Officio, pietate gravi, probitateque sancta.
Sed non aequivalens possum persolvere, praesens
Integra dum vita est, dum currunt stamina et aevi:
 10 *Ipse tamen quicquid potero fecisse studebo;*
Cumque meis obstet votis angustia rerum,
Pignoribus ipso loco chartas has rite reponam.
Sint animi grati pia tessera, sponsio honoris.
Accipitote, precor, parvi munuscula census;
 15 *Nec quae sint, sed quae donantur mente, notate.*
Vivite felices; Christo Duce, vivite dextre,
Atque meis studiis coeptisque favete: Valete.

Debiti honoris et amoris gratia,
 reverenter et amanter
 D.D.D.
 Josephus Paulinus,
 Ulsbeckia-Svecus.

25. Adr: Andreas Sandhagen – Aut: Jacobus Lotichius (Disputatio theologica, in caput primum usque ad v. 15. D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subijcietur praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Andrea Sandhagen, /.../ d. <> Julij, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.) BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

SCAZON

Ad Praestantissimum et Literatissimum
Dn. RESPONDENTEM.

Triariorum, Lauriger, Camoenarum;
 Spretor Vacunae, Murciaeque torpentis;
 Invicte, SANDHAGI, Nepos Agonij.
 Nondum labos reflectit artis augmenta?
 5 Nondum impigrum fatiscit atque macrescit
 Conamen? o grande; Entheumque Conamen!
 Dum faustiter fastigia alta metaris;
 Dum Codicum seclusa Dia Diorum
 Excudis; Et Mystera abdita (Herois
 10 Norma ex amussatim docente VIRGINI¹⁸)
 Recludis: o grande Entheumque Conamen!
 Praesto Sophi turmae! Caterva sit praesto
 Dirum Sophistarum! Plicisque contorta
 Vaferrimis, pangant aprica praecepta;
 15 Pangant apricum Dogma fraude mellitum;
 Vel frendeant: Victi tamen labascentes
 Balbutient, quod naevulus nec in toto
 Hoc corpore ullus sit videre SANDHAGI.
 Sic pulcra laudis caepta rite sectare,
 20 SACRIS SACRATUM PECTUS! Astra calcabis.

¹⁸ VIRGINI ed

Q. Ominor
JACOBVS LOTICHIVS.

26. Adr: Johannes Magni Silerus – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio physica de motu corporis naturalis in genere: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ disputationis exercitatio; 25. die April. anno 1640. /.../ praeside Laurentio Ludenio, /.../ publice proponebat author et respondens Johannes Magni Silerus, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.)

SKB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

Praestantiss. et Humaniss. Dn.
RESPONDENTI.
JOHANNES MAGNI SILERUS;
Per Anagr.
EN SOL IN MAGNIS VEHARIS.

EN SOL IN MAGNIS rebus per secla¹⁹ VEHARIS;
Tuque pio Motu crescere, totus ames.

Ex animo g.
LAURENTIUS LUDENIUS,
PH. et J.U.D.

27. Adr: Ambernus Andreae Storch – Aut: Ericus Haquini Bobergius (Oratio funebris, in /.../ obitum /.../ Nicolai Ionae, /.../ Johannis Ionae, /.../ Danielis Ionae Rödingerorum, Fratrum; /.../ Jonae Nicolai Oriensulani, Wermelandensium, Wasboensium atque Walhaerensium superintendentis /.../ ecclesiae Christi, quae Mariaestadij, nec non in Vlerffwa colligitur, pastoris /.../ filiorum /.../ 13. die Aprilis, anno 1639. in lacu Wäner, /.../ vitam cum morte commutantium; /.../ conscripta; et in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 19. Decemb. anno 1639. publice /.../ recitata ab Amberno Andreae Storch, Mariaestadio, W-Gothia S. – Dorpati, 1640: Lit. acad.)

SKB, UUB, Karlstadt StB, Tartu UB
GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo
Dn. PERORANTI.

Heus, AMBERNE, sacrae decus immortale Camoenae,
Poeonij et nostri portio pulcra chori,
Anxia cur moesto repetis suspiria Corde; et
Triste sonat qvicquid triste sonare potest?
5 *Ah! stas in Cathedra, magna praesente caterva,*
Atque refers qverulis fata inopina modis!
Qva Mariaestadium nunc Vrbs pulcerrima surgit,
Ah! Superintendens funera trina gemit!
NICLAI, IANI, DANIELIS funera! chara
10 *O prolis deflet funera facta suae!*
Quos Iuvenes Pietas, Bonitas ornavit et Aequum,
In Wäner (miserum) succubuere lacu!
Flet Pater et Mater, Fratres et sangvine juncti!
Flet pietas, probitas; flet veneranda Themis!
15 *Sic hominum multis interlita vita periclis,²⁰*
Et propero casu quae valere ruunt!

¹⁹ *secla* edd metri causa

²⁰ *periclis* edd metri causa

*Sed Mors vitae hujus, vitae est coelestis origo;
Mortuus hinc seculo,²¹ vivit in axe poli.
Sic fuit aeterni Patris veneranda voluntas,
20 Esse occulta potest, justa sed usque manet.
Ergo vos flentes, tristem deponite luctum,
Fratrum Triga tenet Fulgida tecta poli.*

Quod Condolentiae Causa apposuit
ERICVS HAQVINI BOBERGIVS
W-Gothus, Nob. et Gen. Dn. And. **Er. N.**
Gub. Reg. Rig. Stipendiarius.

28. Adr: Ambronus Andreae Storch – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio de usu divitiarum: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die <19.> Septembris, /.../ anno 1640. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Ambrono Andreae Storch, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.) Västerås StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctissimo et Humanissimo
Dn. RESPONDENTI.
AMBERNUS ANDREAE **STORCH**:
Per Anag.
REM TENDAS; ANCHORA REBVS.*

*Ne nimiis mentem congesta pecunia curis
Strangulet; usque tamen bene clausum ditior arca
Possedisce Iovem et census patrimonia possit;
Macte, AMBERNE, animis; REM Christo Praeside, TENDAS.
5 Ne sit Possessor congesto pauper in auro.
Quos ex foecundis fructus quis colligit agris,
Illis utatur recte; non ANCHORA REBVS
A Christo aut poterit donari copia major.*

Quod grat. apponebat
LAURENTIUS LUDENIUS,
PH. et J.U.D. ac Professor.

29. Adr: Ambronus Andreae Storch – Aut: Ericus Haquini Bobergius (cf. 28) Västerås StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Est vitium foedum, nimium corradere nummos,
Et veluti summos magnificare Deos;
Non minus est vitium, nimium profundere nummos,
Et veluti Genios postposuisse malos;
5 In medio est virtus vitio distincta ab utroque,
Quae referenda refert, quaeque tenenda tenet;
Hanc, AMBERNE, velut colis excole: Dives erisque
Et tua fama petet sydera celsa poli.*

Festinante Calamo et grato animo adscripsit
Ericus Haquini Bobergius, W-Gothus.

30. Adr: Ambronus Andreae Storch – Aut: Petrus Jonae Bock (cf. 28) Västerås StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Perdoctas quicumque theses defenderit arte,

²¹ *seculo* edd metri causa

*Ille sibi laudem conciliare potest.
Hoc, AMBERNE, facis docta praesente Corona,
Hinc tibi quis laudem, dulcis Amice, neget?*
5 *Perge tuis coeptis insistere pectore firmo;
Virtutis laudem et praemia certa feres.*

Debiti fraterni amoris et honoris ergo
faciebat
PETRUS JONAE **Bock** / Carolstadius.

31. Adr: Ambernus Andreae Storch – Aut: Johannes Jonae Allengreen (cf. 28)

Västerås StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Ingens est vitium congestis undique saccis
Invigilare, sacris veluti quoque parcere rebus.
Munera at ampla pio largiri et corde benigno
Laus est, et virtus Divino pectore digna:
5 *Hanc quia sectaris, Christo Duce et Auspice Christo,
AMBERNE, o Theseo mihi semper foedere juncte,
Hinc tibi laus terris, dabitur quoque gloria coelis.*

Fraterni affectus testif. f.
Johannes Jonae **Allengreen**.

32. Adr: Ambernus Andreae Storch – Aut: Johannes Petri Kuuth (cf. 28) Västerås StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Clara tegi virtus nequit, AMBERNE, ardua nunquam
Est virtus meritis exspolianda suis:
Hinc Sophiae pergis conscendere jugera celsa,
Aonides Musas nocte dieque colis.*
5 *Gratulor inde tuis merito de pectore coeptis,
Pectore laetanti gaudia mille fero.
Dextre animum illustra juvenili flore per artes,
Hinc capies studiis digna brabea tuis.*

Ita gratulabatur animitus
JOHANNES PETRI **Kuuth** /
Sud. Svec.

33. Adr: Petrus Trottonius – Aut: Nicolaus Psilander (Oratio in felix novi anni auspiciis; quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 2. Januar. anno 1640. publice /.../ habebatur a Petro Trottonio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.) SKB, Växjö LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Literatissimo et Humaniss. DN. PERORANTI:
PETRUS TROTTONIUS SMOLANDIA-SVECUS,
Per Anagrammatismum.
TU RETRO LAUDEM CANIS; UT POSSINT SUOS.*

*Partes qui Astrigeri Janus Junonius axis
Perspicit Eoas, Hesperiasque simul:
Nunc revocat sic prolem Hyperioniam rutilantem
Cursumque Aethontis flammipedis cohibet.*
5 *Hinc RETRO LAUDEM, TROTTONI, rite CANIS TU:
CHRISTO sint grates: Fausta futura sient!
Vive in Cumaeos annos: Faxit studia Almus*

UT POSSINT fines tangere fine SUOS.

NICOLAUS PSILANDER, Sud. Svec.

34. Adr: Petrus Trottonius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio physica de principiis internis corporum naturalium; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 3. Octobris, anno 1640. /.../ exercitij gratia publice praeside Laurentio Ludenio, /.../ submittebat, respondens Petrus Trottonius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo
DN. RESPONDENTI
PETRUS TROTONIUS,
Per Anag.
TUTUS TERRIS PONTO.

PONTOnes mutant merces: sis TVTVS amicis
Tu PONTO TERRIS mercibus ingenij.

In felix omen ap.
LAURENTIUS LUDENIUS,
PH. et J.U.D. ac Professor.

35. Adr: Petrus Trottonius – Aut: Benedictus Cassiander (cf. 34)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Sic, pie PETRE, Theses de internis scribere pergis
Principijs: tentas quod bene, id artis opus.
Aggredere artis opus, sis felix atque beatus,
Sic summum usque decus, quod venit inde, feres.

Benedictus Cassiander,
Smol-Svecus.

36. Adr: Petrus Trottonius – Aut: Petrus L. Schonbergius (cf. 34)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

PETRUS TROTONIUS,
Per Anagram.
TUTUS EST PRONIOR.

Semper timet, caret qui
Tutore; navis ut quae
Fertur mari in profundo.
Hic non timet procellas
5 Nautam qui habet peritum;
Sed fortiter resistit,
EST PRONIORque: TUTUS
Et pronior repellit
Undas datas marinas.
10 Sis PRONIOR, TROTONI,
In rem sacram; usque TUTUS
Nam nauta adEST fidelis:
Hostes pij instituti
Pelle hinc, procul repelle:
15 Ti magna laus resurget.

PETRUS L. SCHONBERGIUS, Ost. Goth. Svecus.

37. Adr: Johannes Nicolai Trätz – Aut: Johannes Erici <Stregnensis> (Disputatio de oeconomica in genere: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ publicae et placidae ventilationi ad diem 23. Junij /.../ submittebat /.../ Ericus Andreae Sala-Montanus, respondente Johanne Nicolai Trätz, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Lit. acad.) SKB, UUB, H,[Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctrina et morum elegantia conspi-
cua Juveni*

DN. JOHANNI NICOLAI **Trätz** /
Arosia Vesmanno, de utilissima et jucundis-
sima disciplina, Oeconomica, publice disputanti,
Amico suo syncere dilecto.

*Omnia nunc rident; florent laetantur in hortis;
Et frondent sylvae, vires et prata resumunt:
Inde tumescit humus, ridens et gramina confert,
In totis campis, laetantur et omnia rident.*

5 *Pinniger aequoreis piscis qui vivit in undis,
Inter aquas ludit, faecundus flumina tranat,
Atque sui fructum praebet praedantibus hamis.
Hinc volucris lignis nidos suspendit in altis,
Cantu nascentem lucemque diemque salutat;*

10 *Concentum suavem resonis e frondibus edit.
Denique jam pecudes, jam muta animalia laetos
Educunt foetus blandi sub luminis auras,
Sic complent terram, sic singula bruta resultant.
Hinc bonus Oeconomus memori sub pectore condit,*

15 *Qua ratione domum curet, qua mente beetque:
Providet ut domui, bene sit per tempora dura.
Quas res rite Theses demonstrant ordine justo
Praesentes, studiis quae prosunt Oeconomorum.
Chare, theses magna, tu **Trätz** cum laude tuere,*

20 *Atque tibi prosit praxi bene consuluisse.
Pergas ingeniis Musarum immittere amorem,
Hocque animo magnos tandem instaurabis honores;
Quod superum Rex ipse velit succedere Christus.*

Votum Sapphicum.

25 *Sic tuo grator celebri labori;
Sic tibi grator quoque quod laboras;
Semper ac artes, Sophiae et recessus
Vis penetrare.
Prosperet Christus moderator orbis
Hoc tuum coeptum, studiumque semper,*

30 *Donec ad coeli revocaris aulam,
Usque Beatus.*

Quod animitus grat.
M. JOHANNES ERICI,
Stregnensis Svecus.

38. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Andreas Virginius (Sacris ministerii honoribus; qui /.../ Petro Turdino, jam pastori Cathedralis Ecclesiae Revaliensi /.../ ibidemque Regii Consistorii adessori /.../ solenniter conferebantur, cum 2. die Octobris, anno 1640. ecclesia Christi, quae ibidem colligitur, /.../ commendaretur: quaevis fausta et optata precantur Musae Embecciades. – Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.) SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Ergo Magisterij qui clarus honore refulges,
 Inde Ministerij clarus amore clues,
Clare vir; ingenuus Sophiaeque politior usus
 Te clarum fecit jure Magisterij.
 5 Annuat omnipotens; Divini oracula verbi
 Te clarum facient jure Ministerij.
 Adjiciet curam Eusebiae nova vita recentem,
 Diceris verbi jam tuba plena Dei.
 10 Per populos sparges coelestis Numinis haustus,
 Expones Christi cognitionis opes.
 Te Duce, virtuti veniant sua praemia: vitae,
 Te Duce, deficiant facta notanda malae.
 Efficias genus humanum, servesque beatum:
 Buccina sic verbi deliciosa Dei.

Ita veteri suo amico gratulari voluit
 ANDREAS VIRGINIUS D.
 et Prof. P.

39. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Clare Vir, Eusebiae et Christi, TVRDINE, Sacerdos,
 Delicium Sophiae, Decus immortale Bonorum:
 Cecropiae eximio pollens Latiaeque Minervae
 Hactenus ingenio, Physicam Sophiamque professus;
 5 Socratis et Senecae divini et more Catonis
 Vsque fatigasti docto sermone quod aequum est.
 Aspiret felix sancto fortuna labori,
 Hinc tibi conspicuos velabit candida crines
 Infula, et Antistes DOMINI per secula vives.
 10 Sanctum Evangelium sanctique Oracula Verbi
 Dixeris, et veri Divinos Numinis haustus
 Sparseris in populos, animosque in nube jacentes
 Traxeris ad lucem, monitisque erexeris aures
 Ad jubar aethereum, divini et luminis ignem.*

M. PETRUS TURDINUS:

Per Anagr.

TU RUMPENS TRUDIS.

15 *O minor: optati sit felix Nominis omen;
 TV RVPENS rerum fallacia vincula TRVDIS,
 Et procul hinc, procul inde feros avertere ritus
 Incipis; Auspicio Christi, quo deditus Aris
 Sit cultus, cuncti et pravos desvescere mores
 20 In melius versi studeant et vivere recte.*

*Sic! Bene sic vivet renovatis moribus aetas;
Sufficies meliorem animam, Christo Auspice, Genti;
Ille etiam mundo cum venerit ultimus aevi
Terminus, a Christo vox mota feretur ad aures;
25 Euge, Bone o Serve! in minimis mihi, Serve, fidelis;
Ingredere o Domini coelestia gaudia: quondam
Prensa Fide, intuitu coram propiore tenebis.*

Quod in felix auspiciam v.
LAURENTIUS LUDENIUS, PH.
et J.U.D. ac in Regia Academia Dorpaten-
si Professor Juris, Orat. et Poës.

40. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Salomon Matthiae (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Pervetus est verbum: qui fel non gustat amarum
Hic etiam suavi nectare jure caret.
Usque huc Sisyphios non detrectare labores
Visus es, hinc fructus accipis egregios.
5 Paucos ante annos Dorptae Thymbraeus Apollo
Nectebat capiti Laurea sertam tuo;
Ecce salutifero nunc te vult pascere VERBO
Sancto quas peperit sanguine CHRISTUS oves.
Gratulor: ad nutum cesserunt omnia: Mystae
10 Fac bene succedant singula, CHRISTE, novo.*

Gratulabund. apponebat
M. SALOMON MATTHIAE
Ebr. Ling. P.P. et ad D. Joh. Pastor.

41. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Michael Olai Bostadius (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Inclyta festivos exede, Revalia, plausus,
Quam Deus Astripotens clemens Pastore beavit,
Qui non conscendit damnosae fulcra Cathedrae;
Verum in Lege Dei meditatur nocte dieque,
5 Auspice quam Christo bene docta voce profatur,
Vt sibi commissum Christi compascat Oville,
Et ducat secum ad peramoena palatia coeli;
Hoc precor ut facias, TVRDINE o Clare Magister,
Donec in hoc mundo, vitali vesceris aura;
10 Sic tibi concilias pulcrum per secula nomen,
Et, cum cuncta cito, lapsu concussa peribunt,
Ecce tibi Christus dicet: Tu Serve fidelis,
Ingrediare mei coelestia gaudia Patris,
Justitiae ut captas nunquam violabile sertum.*

Haec conterraneo suo sincero
et fratris loco dilecto vov.
Michaël Olai Bostadius
ad D. Mar. Pastor.

42. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Martinus Faxelius (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Dicito Io Paeon, et Io bis dicito Paeon!
Christiados quisquis Fausta salutis amas.*

Typhis et Automedon vobis, Duce et Auspice Christo,
 Dius et edoctus dexteritate datur.
 5 Dulce Decus Sophiae, Decus Eusebiaeque verendum;
 Gratulor hinc tantis carmine muneribus.
 Congrua Cunctipotens humeris det robora, sacrum
 Impositum ut valeant ferre potenter onus.
 Ut prodesse Pijs Divina docendo, Magister,
 10 Possis verba, tuo quae seris ore gregi.
 Ito bonis avibus, faustis hinc ito quadrigis,
 I bene, quo bene Te sidera fausta vocant.
 Pax, Pietas, Virtus, Plebs, Sors, Ecclesia, cuncta
 <Ito> Te pleno suaviter ore vocant.

Amico suo certissimo animitus
 precatur
 M. MARTINVS N. FAXELIVS
 Nerikia Svecus.

43. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Phasellus ut per aequor aestuat praeceps;
 Vel Syrtibus Charybdibusque Sirenum
 Latrantibus libatur anxie pernix,
 Ubi erudito est destituta Nauclero.
 5 Haut absimilliter Phasellus insignis
 Ecclesiae sacrae, cavis procellarum
 Furoribus jactatur, Orba si quando
 Est Praesule atque Praeside, eruditorum
 Collegij Virorum alacriter docto.
 10 Hinc *Arbiter Legum perite sacrarum;*
Scientiarum multiformium Gnare;
O Mystagogum Ocelle; Et o meum Pectus;
TVRDINE, Candor utriusque Candoris
Nostri; Hinc Tibi, Tuisque candide grator,
 15 De Numinis tanto favore collato
 Altissimi. Sic perge, sic Fretum sulca
 Puppi triumphali! Parata sunt Transtra;
 Flat Euris auspex: Et regenda sunt pansa
 Utrinque Carbasorum in aethere agmenta:
 20 Conscede, tranquillumque ovanter attinge
 Portum, alma adorea decenter Ornatus.

Ipse quod opto
 JACOBVS LOTICHIVS.

44. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Ericus Haquini Bobergius (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Turdine, *Aoniae doctrinae macte Magister,*
Cultor et Eusebiae perstudiose sacrae;
Numina sacra colis, coelestia jussa capessis,
Per vitaeque foves tempora cuncta tuae;
 5 *Integer es vitae, maculis non oblitus ullis;*
Non nisi justa facis, non nisi vera refers.

*Ergo tibi fas est, mysteria pandere sacra,
 Porrigere et verae religionis opes;
 Credita praeterea tibi nunc Ecclesia pulcra,
 10 Quam pasces verbo candidiore DEI.
 Gratulor hanc Spartam synceri e pectoris arca,
 Et precor exornes sedulitate pia,
 Et DEUS astripotens producat tempora vitae,
 Resque tuae cursu prosperiore fluant;
 15 Praesentisque DEUS, disrupto stamine vitae,
 Te vocet ad rutili regna beata poli;
 In queis gratifico cantabis júbila cantu,
 Trisagion dices voce canente DEO.*

Lubens adscripsit
 ERICVS HAQVINI BOBERGIVS,
 W. Gothus.

45. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Petrus L. Schonbergius (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Mag. Petrus Turdinus:
Per Anagram:
 Per Studium Surgant.

*Per Studium Martis Surgant Mavortia corda:
 Per Studium Musae, ad culmen tu Surgis honorum;
 Dum sancte sancti sancta statuta Dei
 Impiger urges.*

In felix omen et gratitudinis
 monumentum reliquit
 PETRUS L. SCHONBERGIUS,
 Ost-Gothia Svecus.

46. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Petrus Jonae Bock (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Non ignota fero: Divino est munere dignus,
 Muneris est fructu dignus et ipse sacri,
 Quem pia Divini constanter cura timoris
 Tangit, et egregie nocte dieque beat,
 5 Qui scrutans praecepta Dei, se oblectat in illis,
 Et nihil haec extra, quod meditetur, habet.
 Hoc, *Turdine*, facis Sophiae preclare Magister,
 Eusebiaeque sacrae faxque decusque sacrum:
 Hinc tibi collato censeris munere dignus,
 10 Muneris es fructu dignus et ipse tui.
 Te Deus o servet, praesens tibi semper, et umbra
 Te velut inclusum protegat ipse sua.
 Curet te Dominus, te damno servet ab omni,
 Et custos vitae sit Deus ipse tuae.
 15 Perge tuo multis sancto prodesse labore,
 Sic tua post obitum fama superstes erit.

Debiti honoris ergo apposuit
 PETRUS JONAE **Bock** /
 Carolstadius.

47. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Johannes Jonae Allengreen (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*En, Turdine, sacrae Latonae candida proles,
Dulce sit o munus sancti venerabile Verbi,
Cui te sancta Trias praefecit sydere laeto,
Quodque tibi grator devotae mentis amore,
5 Supplice sollicitans coelestia Numina voto,
Vt numeres felix grandaevi Nestoris annos,
Adque Dei nutum vitae modereris habenas.
Muneris in terris patienter pondera portes,
In coelisque canes festivo jubila plausu.*

Candido animo scripsit
JOHANNES JONAE **Ållengreen** /
W-Gothia Svecus.

48. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Johannes Petri Kuuth (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Clio Rivaliae dominatur moenibus urbis,
Calliopeque pium fundit de pectore carmen.
Petrus, honos sanctae teneris pietatis ab annis
Doctrinaeque fuit, quae vitam moribus ornant;
5 Artibus ingenium, linguam sermone politam
Possidet, ac Sophiae cinxit sua tempora myrto;
Nunc et Apostolicum recipit venerabile munus
Dum Templo Cathedrae divini fontis ad aras
Inservire cupit: Divina Vocatio fluxit
10 Auspicio summi qui nunc regit omnia Patris:
Hinc Domino laetas cantamus carmine grates,
Jubila cordifluo diffundimus optima plausu;
Aspiret coeptis Christus sine fine precamur,
Sintque diu sano vires in corpore sanae.*

Hoc animitus optat
JOHANNES PETRI **Kuuth** /
Sud-Svecus.

49. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Olaus Olai Presbolicus (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Turdine, Eusebiae dignissime Mysta Cathedrae,
Et laetis Sophiae floscule pulcer agris,
Officium sanctum, ad quod te Deus ipse vocavit,
Grator, pergrator pectore et ore, tibi;
5 Quod superest; opto vivas per secula felix,
Sanctam Ecclesiolam promoveasque Dei.*

Alacri animo adscripsit
Olaus Olai Presbolicus,
Wermelandia Svecus.

50. Adr: Petrus Turdinus – Aut: Olaus Michaelis (cf. 38)

SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Qvi studio sacri dispergunt semina Verbi,
Erudiuntque Dei populum; Duce et auspice Christo,*

*Fulgebunt instar stellae fulgentis in astris.
Hoc, Turdine, facis, Clare et Reverende Magister:*
5 *Hinc instar stellae tandem fulgebis in astris.
Hoc precor, hoc voveo, constanti cordis amore
Donec Parca meae dirumpat stamina vitae.*

Gratulaturus adscripsit
Olaus Michaëlis,
W-Gothus.

51. Adr: Josephus Paulinus Ulsbeckius– Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de veritate: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 8. Februarij, anno 1640. publice /.../ habebatur a Josepho Paulino, Ulsbecki Sveco. – Dorpati Livonorum, 1640: Lit. acad.) (cf. 24)

SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss. Dn.
PERORANTI.
JOSEPHUS PAULINUS:
Per anag.
HIS AUSU PLENO PIUS.*

*HIS AVSV PLENO PIVS es conatibus: AVSV
Esto PIVS: Patriae sic eris usque PIVS.*

Quod animitus ap.
LAURENTIUS LUDENIUS,
J.U.D. et Professor.

52. Adr: Josephus Paulinus Ulsbeckius – Aut: Johannes Anberg (cf. 51)

SKB, Växjö LB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Veriloqvus quanquam premitur quandoque: subinde
Virtutis sacrae ope hinc attamen erigitur.
Docte JOSEPHE; animis virtutem hanc esse colendam,
Pulcre commendas: huicque studere mones.*
5 *Est opus hoc gratum Christo, qui est Sanctus amator
Et virtutum author. Fausta tibi omnia erunt.*

Ita suo amico anim. gratul.
JOHANNES ANBERG /
Smalandia-Svecus.

53. Adr: Petrus Caroli Udenius – Aut: Laurentius Olai Morenius (Oratio in felix novi anni M.DC.XL auspiciis; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 4. die Januar. anno 1640. publice /.../ enarrabat Petrus Caroli Udenius, /.../ - Dorpati, 1640: Lit. acad.)

SKB, UUB, Växjö LB, Tartu UB
GRATULATIO

Moribus et Doctrina Ornatissimo
DN. PERORANTI.

*Quis, mi Petre, sacrae decus immortale Cohortis,
Pectore non voveat prospera cuncta tibi?
Auspiciis Felix Anni Novi adusque precaris
Cunctis, quos mundi machina vasta capit.*
5 *Sit faustum et felix votum, sint omnia fausta*

*Eveniantque tibi commoda larga, precor:
Et tua tranquillum veniant ad littora pontum
Carbasa, tu videas prosperitate Tuos.*

Quod animitus precatur
Laurentius Olai Morenius,
Wermelandia Svecus.

54. Adr: Petrus Johannis Ungius – Aut: Laurentius Ludenius (In auspiciatissimos natales Regiae Academiae Aboensis, /.../ a /.../ Christina, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regina /.../ fundata, et 15. Julij anno 1640. /.../ inauguratae, oratio solennis de academiaram antiquitate et necessitate, quam in /.../ consessu Aboae /.../ 4. die Aug. publice decantabat Petrus Johannis Ungius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Lit. acad.) (cf. 63) SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

PETRUS JOHANNIS UNGIUS:
Per Anag.
O PARTUS IN HIS INGENUUS!

*Tvque Novenarum Cultor, pie PETRE, Sororum
Dum Musis recitas Academica credita Tempe:
PARTVS IN HIS genij INGENVVS, visque Enthaeae mentis
O fulget! cursus sit felix, opto, laborum.*

Quod ipsum devota mente apprecabatur
LAURENTIUS LUDENIUS, Ph. et J.V.D.
Po. C. et in Regia Academia Dorpatensi
Professor Juris, Oratoriae et Poëseos.

55. Adr: Petrus Johannis Ungius – Aut: Samuel Hartman (cf. 54) SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Praestantissimo et Literatissimo Iuveni Viro
Dn. PETRO JOH. UNGIO, Calm. Sve-
co, S.S. Theol. Studioso, Amico optimo, in nova Fin-
nonum Academia publice docteque declamanti.*

Vox, ut personuit docta per atria,
PETRI, quem stabilem multa peritia
Rerum multijugis condecorat modis:
Vibrans obticuit Fulmen Apollinis,
5 Admirata stupet plebs Academica,
Qua vi tam celeri turba Cyclopica
Nativo solio, pergat in exules,
Cogaturque cito plectere poplites.
UNGI, quid faciam concelebrande? vi
10 Docta singula qui persequeris? Chely
Phoebeja volupe est ingenium: tibi
Commendare decus Calliope cupit.
Sis vir; macte animis: JOVA LEVAMINE
Prompto promptus erit: Flamine tu clue
15 Adjutore DEO! macte, clues, ages
Felix, assiduus: macte, clues, ages.

Hoc ex animo optat
Samuel **Hartman**.

56. Adr: Adrianus Verginius – Aut: Jacobus Lotichius (Disputatio Johannitarum de praecipuis religionis Christianae articulis secunda de lege Dei quae /.../ in Regia Academi Dorpatensi publicae ventilationi subjicietur praeside Andrea Virginio, /.../ autore et respondente Adriano Verginio, /.../ d. < > Novemb. /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Lit. acad.)

EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Rev. Pietate, Doctrina et Humanitate conspicuo Dn. RESPONDENTI.

Sinaea proh hiulca
 Monumenta ad antra pellit,
 Ac Orci ad ima Mosen
 Vecors furor relegat
 5 Cyclopicae cohortis.
 Hic frendet atque fatur,
 Lex dira, dura, prava,
 Minax, profana, soeva,
 Legisdatore atroce
 10 Sancita; bibi et atrae
 Non subjicit Tonantis:
 Vah exulent ab arvis
 Horrenda jura nostris!
 Stomachatur alter usque
 15 Sic gannit atque fatur,
 Lex dira, prava, soeva,
 Ceu nostra membra duris
 Ferruminat catastis;
 Nunc urget ac retorquet
 20 Hinc inde nos misellos,
 Stygiasque pene ad undas
 Deturbat ac reflectit:
 Vah exulent ab arvis
 Horrenda jura nostris!
 25 Epicure, quid laccessis
 Vesana corde tela,
 Oris scabraque voce
 Edicta Dia spernis?
 Quid Haeresis proterve
 30 Manachaea, jura contra
 Tam Numinis verenda
 Baubas? Precor, venite,
 Patiamini doceri!
 Mecastor erudire
 35 Vos efferasque mentes
 Authentica haecce scripta
 Quam plurimum potessunt.
 Tu Mystagoge perge,
 O perge Mystagoge,
 40 Jus Entheum vereri,
 Jus Entheum tueri.
 Victrice ter quaterque

45 Diademate atque Lauro
Divinitus Beati,
Volupe est quibus Tabellas
Meditarier sacrarum
Noctu dieque Legum.

Ex animo ap.
JACOBVS LOTICHIVS.

57. Adr: Ulricus Volbergen – Aut: Laurentius Ludenius (Borussiae historia: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ oratione solenni, die 1. Augusti, anno 1640. publice /.../ enarrabat Ulricus Volbergen, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.)

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo
DN. PERORANTI.
ULRICVS VOLBERGEN:
Per Anag.
URGE LVBENS; I LVCRO.

Qvod monstrat Justum grave Papinianus et Aequum,
VRGE, Vlrice, LVBENS: Chronicorum Scripta, subinde
VRGE, Vlrice, LVBENS: I LVCRO dexter Amicis.

Quod animitus vov.
LAURENTIUS LUDENIUS,
J.U.D. et Professor.

58. Adr: Ulricus Volbergen – Aut: Martinus Nicolai Faxelius (cf. 57)
UB]

SKB, UUB, LAB, [Tartu

GRATULATIO

Sit sua laus aliis, alios sua rumigeret vox;
Rumigerent doctos, carmina docta, viros.
RES PROBAT ARTIFICEM, Tua res dum disseris arte
Te probat, insimul et comprobat Artificem.
5 *Perge perorando docte; sic laude probabunt,*
Artificem doctum, Carmina docta, virum.

Quod animitus apposuit
M. Martinus Nicolai Faxelius,
Nerikia Svecus.

59. Adr: Ulricus Volbergen – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 57)

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

VOLBERGiana Thetis,
Quid, auguror, requiret.
Vehitur ratis Phasellis;
Et flatibus secundis.
5 Euri faventiores,
Zephyrique molliores,
Non abnuunt Carinae.
Quid, auguror, requiret?
Hydaspis haut lapillos,
10 Scythicasque gemmulillas.
Sed, auguror, requiret,
Quod nec Tagi liquores

Mercarier potessunt,
Tamen Tagi liquores
15 Mercarier potessit.

Jacobus Lotichius.

60. Adr: Seguardus Olai Wallander – Aut: Ambrunus Andreae Storch (Oratio de homine; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 28. Mart. anno 1640. publice /.../ enarrabat Seguardus Olai Wallander, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Lit. acad.)

SKB, UUB, Växjö LB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Pietate, Doctrina et Humanitate Ornatissimo
Juveni*

DN. SEGVARDO OLAI WALLANDRO, amico et Sympatriotae suavissimo.
DE HOMINE, docte et Methodice
PERORANTI.

*Dimidium o nostri cordis, Pietatis amator
SEGVARDE, Aonij pulcherrima Gloria coetus:
Haec tibi cura manet, renovatis dicere verbis,
Quid sit Homo, quae sint causae, quamque illa venusta
5 Fabrica membrorum: quam nobilis atque verenda
Ingenij sit vis, vigor, ardor et enthea virtus:
Cuncta haec enarras doctae modulamine lingvae.
Instes, nec cesses, Hominem describere docte;
Sic tibi consurget cum Homine ipso gloria magna,
10 Et tibi Castalides referent sperata brabeja.*

Animo gratul. apposuit
Ambrunus Andreae **Storch**
Mariaestadius.

61. Adr: Seguardus Olai Wallander – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 60)

SKB, UUB, Växjö LB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Latonae proles, stabili, WALLANDER, amore
Juncte mihi; ostendis sic specimen genij;
Astriferi narras dum quam faber amphitheatri
Naturam ipsi Homini pro bonitate dedit;
5 Scilicet ut possit solus cognoscere verum,
Colloquio et puro sensa referre animi.
Caetera mente carent: Hinc condita cuncta subegit,
Infima pars mundi quae spaciosa tenet.
Perge, velut pergis, causas pervolvere rerum,
10 Et tibi provenient commoda multa rei.

Ita amico et Contubernali suo sinceri
amando, gratulari debuit ac voluit
Petrus Caroli Udenius,
W-Gothus.

62. Adr: Moecenatibus, Patronis et Promotoribus suis – Aut: Jacobus Lotichius (Oratio de musica: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, /.../ die 4. Jan. anno 1640. /.../ enarrabat Jacobus Lotichius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Typ. acad.) (cf. 18-20) SKB, London BL, LAB, EAB, [Tartu UB]

Dnn. Mecoenatibus, Patronis et Promotoribus
suis observanter colendis;
Salutem et Incolumitatem.

*O Mecoenates, Patriae nitidissima fulcra,
Gaudia Musarum, Deliciaeque meae.*
Musica Dia sapit, coelum terramque gubernat;
Nata juvare hominem; nata sonare Deum.
5 Haec potis est raptum curis reparare vigorem:
Haec Satanam, haec morbum, haec plura pericla²² fugat.
Haec quoque facta pios Heroas ad ardua cogit;
Haec movet harmonicis aspera corda modis.
Hanc juvenesque senesque colunt, puerique tenella
10 Labra cient: Hanc et candida turba colit.
Musica magna sapit; crepat altum; Dia gubernat,
Vultque potestati cuncta subesse suae.
Hinc mea Svada rogat; *Quid sit? Pia Musica quid sit?*
Materiemque sibi repperit illa suam.
15 O Mecoenates, est Musica Vestra voluptas
Musaque vos Misis, quaeso, favete meis.
Quod ipsum ad Aram Gratitude devote vovebat
Jacobus Lotichius.

63. Adr: Regia Academia Aboensis – Aut: Laurentius Ludenius (In auspiciatissimos natales Regiae Academiae Aboensis, /.../ a /.../ Christina, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regina /.../ fundatae, et 15. Julij anno 1640. /.../ inauguratae, oratio solennis de academiarum antiquitate et necessitate, quam in /.../ consessu Aboae /.../ 4. die Aug. publice decantabat Petrus Johannis Ungius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1640: Lit. acad.) SKB, UUB, Växjö LB, [Tartu UB]

IN
AUSPICATISSIMOS NATALES
REGIAE ACADEMIAE ABOENSIS.

*Terrarum Coelique Sator, Monas et Trias una,
Principium, Rector, Dux, Semita, Terminus idem
Sera humanorum per secula tota laborum,
Afferat auxilium: DEus auxiliaris amice
5 Illustri assistat operi, suaque omnia firmet.
Ardua Progenies Regum, Celsissima Princeps,
Illustris Soboles GVSTAVI-Regis-ADOLPHI,
CHRISTINA, Heroina; sacra Virtute Serena
Regina; aeternae fulcrum Pietatis, et illud
10 Sanctum Delicium humanae per secula Gentis,
Proxima sideribus tellus Erymanthidos ursae
Qua jacet Arctois assurgens Svecia signis;
Regum illa Illustris Soboles et Sancta Propago,
Regia sancti Animi Divinae et commoda mentis
15 Tota DEo quae rite refert et jugiter optat*

²² *pericla* edd metri causa

Illustrari orbem, sanctisque evincere rebus
Quae meminisse juvet, mirentur et usque nepotes;
Ardua qua tellus ostentat Finnica longe
Praecipitem fossam et circumdata moenia muris
20 *Se quibus o multum felix ABOGIA jactat;*
Fecit ut Aoniis praeclara Habitacula Musis
Regifica et pompa surgant Academica Tempe
Seclorum in seclum²³ Musis decora alta futuris.
Ipse Gubernator Terrae Celsissimus Heros,
25 *Dives opum, Clarus Genus alto a Sangvine, PETRVS*
BRAHE / *Comes, Proavis ingens, clarumque paternae*
Nomen habens Virtutis, et ipse acerrimus armis;
Palladium donis opulentum et Numine Christi
Aedificat; saxo veneramur structa beati
30 *Templa Lycei, altam divinae et Pallados Aulam.*
Culmen honorificum, venerandus Episcopus, alti
Palma Sacerdotis,²⁴ divinus Praesul ISACVS
ROTTHOVIVS, Domini Antistes, prius Archisacerdos:
Dat sperare domos, molirique aggere tecta,
35 *Atque locare manu, et Musis dare Civibus urbem,*
*Praesidio Christi, Reginaque Auspice, **BRAHE** et*
Auxilio Comitum, tantarum commoda rerum
Instituit, sanctorum operum atque exordia junxit.
Vt mage Regificis surgant Academica Tempe
40 *Delicijs, pergant Musisque effingere Templa:*
Iura, Magistratumque legant, sanctumque Senatum;
Magnificus meritis ProCancellarius audit
ROTTHOVIVS, celebri fama super aethera notus.
Eusebiae Doctor, Christi Pietate Sacerdos,
45 *Cognitus AESCHILLVS PETRAEVVS divite laude,*
Magnifici primus venerandas muneris alti
Delicias gustat, felix Academicus Hercules.
Sanctis Auspiciis, Iuvenumque Senumque labores
Et placidis regit imperiis: Bonitate fovetque
50 *Doctam Mercurij Sobolem Gentemque Togatam.*
Doctrina insignis SVENO VIGAEIVS alta:
Insignis sancta TERSERVS et Arte IOHANNES:
Infula queis nitidos advelat candida crines,
Sanctum Evangelium sanctique Oracula Verbi
55 *Proponunt, dotesque sacras cum pectore jungunt.*
Eunomia celebris DALAKARLVS laude IOHANNES
Irreprehensa docet dare mox Responsa petenti, et
Reddere Iura foro, et componere Legibus orbem.
Socratis, et Senecarum, et summi more Catonis
60 *Est MICHAEL celebris WEXJONIVS: Insuper alte*
Historiae et prisca memorat certamina secli.²⁵

²³ *Seclorum in seclum* edd metri causa

²⁴ *Sacerdotij* edd calamo correctum in *Sacerdotis* S

²⁵ *secli* edd metri causa

- Lingvarum excellens MARTINVS STODIVS arte,
 Cecropiae Hebraeaeque sonat gravis aemulus urbi,
 Et facit eloquio ut crescant oracula Christi.*
 65 *Miratur clarus SIMON KEXLERVS Olympum,
 Designat toto labentia sidera coelo,
 Solertisque viget Sapiens Tractator Arithmi.
 Inde latet quodcunque, GEORGIVS Author ALANVS
 Insignis tradit: narrat primordia Mundi*
 70 *Et rerum causas, et quod Natura doceret.
 Clarus NICLAUS NYCOPENSIS, mente sagaci
 Iudicium ut fiat felixque Inventio, tradit;
 Et veluti Vates, Heliconis gloria, crescat.
 Vt sint eloquio vivacia verba, IOHANNES*
 75 *TERSERVS, doctos miratur Rhetoras, addit
 Aequemus Pyliae Neleja verba senectae.
 Sanctae Reginae meritas persolvere grates
 Non opis est nostrae: Numen coeleste reponat.
 Celse Comes, Duce te, rata sit tutela Lycei:*
 80 *Laetentur, Duce te, ProCancellarie, Musae:
 Magnifice et Rector, Duce te, hinc Academia crescat.
 Eusebiae, Eunomiae, Panaceae et Pallados almae
 Vivite Doctores, Proceresque Patresque Lycei,
 Rideat et vultu illustris fortuna sereno.*
 85 *Inclyta Mercurij Soboles, Studiosa Iuventus,
 Quae caput Aonias optas efferre per Artes,
 Laetas ingemines grates, et mente reponas
 Magnificum auxilium et nascentis commoda Musae.
 Vive memor, Genus Ingenium quod adaugeat altum,*
 90 *Et Mens sublimi supra Genus exeat Arte.
 Coelica dispositis aspiret Gratia Musis;
 Sint sancta celebres et ovantes voce Camoenae.*

1641

1. Adr: Jonas Henrici Bechaelius – Aut: Petrus Caroli Udenius (Oratio de amicitia: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 10. Novembr. anno 1641. publice /.../ enarrabat Jonas Henrici Bechaelius, /.../ - Dorpati, 1641: Typ. acad.)

SKB, Karlstadt StB, H, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Doctissimo Dn. Peroranti.

- Quos genuit probitas, stabili his pia pectora verus
 Synceroque animos foedere jungit amor:
 Hinc, nunquam constans Pyladi insidiatur Orestes,
 Alter in alterius vivit Amicitia.*
 5 *Esto: tamen pauci quid sit concordia norunt.
 Sacri est, BECHAELI, res animosa chori.
 Hinc bene tu lingua, quid sit concordia dicis:
 Hinc surgent coeptis praemia digna tuis.*

Amico animo et manu apposuit
 Petrus Caroli Udenius,
 W.-Gothus.

2. Adr: Ericus Haquini Bobergius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio philosophica de qualitatibus afficientibus; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Laurentii Ludeni, /.../ pro summo in philosophia gradu consequendo, /.../ disputationis exercitio, ad diem 18. Augusti, /.../ submittebat Ericus Haquini Bobergius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1641: Typ. acad.) UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Humanissimo Dn. Respondenti.
 ERICUS HAQVINI BOBERGIUS:
Per Anag.
 I, QUI VIR: HOC URGENS, BEABIS.

*I, QVI VIR; Pietate vires: Sophiae Eusebiaeque
 HOC VRGENS Studium corda BEABIS ope.*

In felix omen ap.
 LAURENTIUS LUDENIUS,
 J.U.D. et Professor.

3. Adr: Michael Olai Bostadius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio philosophica de tempore; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae est Dorpati /.../ sub praesidio /.../ Laurentii Ludenii, /.../ pro summis in philosophia honoribus consequendis, publ. examini /.../ ad diem 25. Septemb. /.../ submittebat Michael Olai Bostadius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1641: Typ. acad.) UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Rev. et Praestantissimo Dn.
 RESPONDENTI.
 MICHAEL OLAI BOSTADIUS;
Per Anagr.
 HIC STO; MELLA DABIS, JOVA.

*In statione mei officij HIC STO. Maxime JOVA,
 MELLA DABIS, genio MELLEa dona meo.*

In felix omen app.
 LAURENTIUS LUDENIUS,
 J.U.D. et Professor.

4. Adr: Michael Olai Bostadius – Aut: Ericus Haquini Bobergius (cf. 3)

UUB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Inservis scenae, doctrina clare Michaël,
 Dum vigili studio Musarum sacra frequentas,
 Atque Theses doctas volucris de Tempore condis,
 Quas cultae valido rationis Marte tueris.*
 5 *Hinc tibi Laurigerae donabunt oscula Musae,
 Et tua Phoebea velabunt tempora Lauri,
 Quam precor ex ima sinceri pectoris arca,
 Ut vigeat, crescat, vireat, bene floreat usque.*

Felicis ominis ergo apposuit
 ERICUS HAQUINI BOBERGIUS,
 W-Gothus, Phil. Cand.

5. Adr: Michael Olavi Bostadius, Johannes Georgii Gezelius et Laurentius Ludenius – Aut: Georg Stiernhielm (Ode Alcaica gratulatoria; summis in philosophia honoribus, quos /.../ Micaeli Olavi

Bostadio, ad aedem Beatae Virginis, quae Dorpati est pastori /.../ et /.../ Johanni Georgii Gezelio; publica panegyri in /.../ Gustaviana, /.../ Universitate, /.../ decanus et promotor, /.../ Laurentius Ludenius, Holsat. Ph. et J.U.D. poët. cor. professor juris, oratoriae et poëseos, ad diem 18. Octobris, anno 1641. publice et solenniter conferebat. – Dorpati Livonorum, 1641: Lit. acad.)²⁶

UUB, [SKB, Lund UB, H, Tartu UB]

GRATULATIO

Gentis superbum *Romuleae* decus
 Authorque *Mavors* aequus adorea
 Promptos manu, factisque claros
 Mactat, et eximio brabejo:

5 Huic Civica Quercu redimit comas;
 Illi impedit Pinnis caput aureis;
 Vallisve; Rostrata merentem
 Gramineave beat corolla.

10 Sic cui potestas proxima contigit
 Coelo, Jovis frater, *Pelagi Arbitrator*
 Nullus lucellum auso secare
 Marmora puppe, negat petitem.

15 Nec, quae solum prima auxit honoribus
Ennaea spiceis, improba sedulo
 Messem invidet promissam aratro
 Spemve coloni avidi refellit.

20 Compendio dicam: Ardua Palmulam
 Nulli abnuit *Virtus* merito suam;
 Nullum suo fraudat labore
 Pulverulenta, vigilque *Curae*.

Hinc Diva sublimis *Sophie* throno
 Subnixa Eburno cernitur, *His* suis
 Praesentibus fidis alumnis
 Praemia digna parans referre.

25 Magnos decet permagna merentibus
 Conferri honores: debita purpurae
 Luxit dies, qua, functa duris
 Corda laboribus, erigantur.

30 Nunc ergo Vos, almae *Sapientiae*
 Chari Sacerdotes venerabiles,
 Virtute doctrinaque clari
 Surgite, scandite ad altiora.

Tu flos *Sealtes*, *Uraniae* decus

Anagr.

²⁶ Cf. Samlade skrifter av Georg Stiernhielm. Utgivna av Johan Nordström och Bernt Olsson. In: Svenska Författare utgivna av Svenska vitterhetssamfundet VIII. Första delen, andra bandet, fjärde häftet. Lund: Bloms Boktryckeri AB 1987, Editio 172-176, Commentarium 591-593.

35 Insigne, gaude et dic, MICHAEL, *Scopus*
Hic, Laus Deo, Musae Litavi:
 Munera dia fero laborum. *MICHAEL OLAI*
BOSTADIUS SVECUS
Mutato B in P²⁷

Ah Tu, MINERVAE pulle GEORGIDE,
 Quid stas? *An is Zelo egregio igneus?*
 Ascende, sudorum tuorum
 40 Accipe praemia pulcra, et ampla. Anagr.
IOANNES GEORGII
GEZELIUS,²⁸

Euge, euge! ovantes munera sumite,
 Spectabilis quae amplissima dividit
 Vobis *Decanus*, laude multa
 Vir venerabilis et canendus.

45 En! induet pulcher digitum annulus
Insigne Honoris, magnificum decus. Anagr.
 Mitra comas cinget *Vir altus*
 Pectore, *Ture colendus Indo.* *LAURENTIUS*
LUDENIUS
DOCTOR.

50 Tanti est, *Camoenas* assidua manu;
 Tanti est, *Minervam* almam, et *Sapientiam*,
 Vulgo improbo Deas negatas,
 Excoluisse animo fideli!

Tanti est inertem pellere *Murtiam*
 Et rarioris vincere *Gloriae*
 55 Hostem *Vacunam* internicinum;
 Opprobrium ingenij pudendum!

His nempe, pellax *Pontigenae* Puer,
 Arcus tuus laxus fluit; ignibus
 Cassas faces; telis pharetras;
 60 Pondus inane gemis, fremisque;

Derisus incassum, thyasum qvatis;
 Matrique calcatam quereris, pede
 Pandam dietam, fastuoso,
 Castalidum violator *Euan.*

65 Clari triumpho vivite nobili;
 Ecclesiae Christi boni et utiles;
 Templis salubres et Lyceis;
 Praesidio Patriae atque Amicis.

Dictata dicta
 a
 G. Stiernhielm,
 Haeredit. in Wasula et Kni-
 vus, Pro-Castellano Dorpat. et

²⁷ Anagramma non recte constructum.

²⁸ Anagramma non recte constructum.

Supremor. in Livonia Judiciorum, Aulici et Protosynedrij Assessore.

6. Adr: Christian Buchovius et Anna Burchard – Aut: Andreas Virginius (Sacris nuptiarum honoribus, /.../ Christiani Buchovii, patricij Stralsundensis, conjugium, Revaliae Livonorum <23.> die Februarij anno 1641. contrahentis cum /.../ Anna, /.../ Johannis Burchardi, p.m. in /.../ Revaliensium repub. civis quondam primarij, relicta filia, sponsa, quaevis fausta et salutaria precantur Musae Embecciadēs. – Dorpati Livonorum, 1641: Lit. acad.) Tallinn SA, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

*Conjugium perdulce Jugum; sunt mutua quaevis
Totius vitae sortis et officia.
Dulce jugum: veniunt sociata Marita, Maritus,
Auxiliatrices pesque manusque sibi.*
5 *Si mala Fata premant; Deus ut mala tollat iniqua,
Conjunctis animis per pia²⁹ vota petunt.
Si bona sors adsit, Sortem pietate tuentur;
Et dextrae quaerunt conditionis opes.*
10 *Felices qui tale jugum perdulce subitis;
Eveniant Thalamo commoda larga precor.*

Ita ap.
ANDREAS VIRGINIVS, Nob. Pom.
SS. Theol. D. et Profess. Primar. Supremique Consistorij Adessor.

7. Adr: Christian Buchovius et Anna Burchard – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 6)

Tallinn SA, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

*Castae Delicium Veneris; sperata Voluptas
Conjugij; Vitae consortia Corcula; SPONSE,
SPONSAque vernanti Natura mitis et Annis;
Sic, Christo tribuente, nihil Natura creavit,*
5 *Legitimi Consorte thori praestantius unquam!
DELIGITUR speciosa Venus; socianda Venustas
Dimidiumque animae alterius, connascitur: omnes
Alternantque vices, alternisque usque receptae
Virtutes animis, socios cinguntur in usus.*
10 *Sunt vigiles Oculi, similes sunt igne micantes
Sideribus; Speculi vultus stat Conjugis instar,
Non aliter, quam cum puro nitidissimus orbe
Undarum opposita referitur imagine Phoebus.
DILIGITUR conjuncta Venus; Dilecta, manentis*
15 *Omnibus in toto vitae praeponitur aevo.
Christo dante, Domum felix Venus omine eandem
Deveniet, jungetque animosque manusque locumque
Et contenta, pie concessio limite sese
Occludet: Votis sat erit factum undique votis.*
20 *Adversa, ut mos est, male si Fortuna fatigat
Contusos animos, et res, casusque fluentes;
Mutua quae Virtus, et quae concessa Voluptas
Svavis Connubij, positos perferre labores*

²⁹ via calamo in pia correctum SA

- 25 Svaserit; acceptae et Vitae commune duobus
 Miscuerit studium. Patiens teret omnia Virtus.
 Mutua concordēs Pietas sic afflat Amores
 Ingenuo thalamo; et conjunctos addit Honores!
 Sint dulces Nati, sint optatque Parentes;
 Divitiae et faciles cumulentur: et, Auspice Christo,
 30 In longos vivant Consortes svaviter annos.

Quod Affini suo chariss. ex animo ap.
 LAURENTIUS LUDENIUS, PH et J.V.D.
 ac in Academia Dorpat. Prof.

8. Adr: Christian Buchovius et Anna Burchard – Aut: Salomon Matthiae (cf. 6)

Tallinn SA, [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

- Omnia vincit Amor; procul omnia pellit amara,
 Et facit ut vitae gaudia laeta fluant.
 Legibus Vxorem Naturae ducimus: ipse
 Pronubus est Christus; Vita repleta bonis.*
 5 *Omnia vincat Amor; longos feliciter annos
 Vivite; sit celebris Vita, decusque, precor.*

Ita v.
 M. SALOMON MATTHIAE, in Regia
 Acad. Dorp. Professor Graecae et Hebraeae Ling-
 gvae, <et> ad D. Johan. Pastor.

9. Adr: Christian Buchovius et Anna Burchard – Aut: Jacobus Balccius (cf. 6) Tallinn SA, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

- Bina diu flammis laeserunt Numina, Corda
 Bina: VENUS, nec non aliger altus AMOR.
 Tandem laesa jubet corda illis reddere sana;
 Sponsatoque favet Numen utrumque suo.
 5 Jungitur hinc Sponsus Sponsatae: dantur utrique
 Et Sponsae, et Sponso, candida Fata novo.
 Tolle moras, Neonympha! Quid est in amore moraris?
 Sponse, tuo nullae sint in amore morae.
 Sorte jubar VENERIS devota invitat Amantes;
 10 Atque AMOR in lectum pectora vincta trahit.
 Ite; diu optatum, PAR DULCE, capescite Votum,
 Ite et depositi ponite Amoris opus.

Felicioris ominus E accinere voluit
 JACOBUS BALCCIUS, Senat. Dorp.

10. Adr: Johannes Bussmann – Aut: Martin N. Faxelius (Disputatio theologica de carne et spiritu, atque mutua utriusque lucta in homine renato, /.../ in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Johanne Busmanno, /.../ d. 20. Febr. /.../ - Dorpati Livonorum, 1641: Lit. acad.)

EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Doctrina et Humanitate conspicuo
 DN. JOHANNI BUSMANNO, Ami-
 co fratris loco colendo, de Lucta Carnis et
 Spiritus in homine renato disputanti.*

Adversum corpus, luctans Anima, undique bellum

*Condit; et hoc contra semper idemque parat.
Bellum bella cient. Nequit hoc cessare, nec illa
Fortiter obluctans usque silere cupit.
5 Te rogo, Palladiis os cujus militat armis,
Pars, BVSMANNE, Tui: parsque colenda mei.
Spiritus an rectum teneat, caro vel colat aequum?
Vtrum animam an corpus publica culpa manet?
Dicito non timide, nobisque ediscere verum:
10 Crede, Anima et Corpus praemia certa dabit.*

Gratante mente apposuit
M. Martinus N. Faxelius,
Nerikia Svecus.

11. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (In auspiciatum inaugurationem novi collegii academici; /.../ Christinae, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque /.../ reginae /.../ et principes haereditariae: magnae principes Finlandiae; duces Esthoniae et Careliae, dominae Ingriae etc. in Regia Universitate Gustaviana, quae Dorpati est /.../ est /.../, exaedificati; et 2. die Novembris, anno 1641. /.../ consecrati oratio solennis; /.../ ibidem habita a Laurentio Ludenio, Holsat. Ph. et J.U.D. poët. cor., professore juris, oratoriae et poëseos. – Dorpati Livonorum, 1641: Typ. acad.)³⁰

SKB, UUB, Växjö LB, LAB, [Tartu UB]
DEDICATIO

CHRISTINA,
REGINA
SVECIAE:
Per Anagramma:
CHARIS
IN REGNA IT
SVECIAE.

*Sancta CHARIS; CHRISTINA CHARIS; Regina Serena,
IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.
Salve, Sancta CHARIS; Salve, Regina: JEHOVA
Auspice, sis REGNIS Sancta vocata CHARIS.*

12. Adr: Martinus N. Faxelius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de artium liberalium natura et studio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 27. Januarij, anno 1641. publice memoriterque /.../ enarrabat /.../ Martinus Nicolai Faxelius, /.../ - Dorpati, 1641: Typ. acad.)

SKB, UUB, Växjö LB, H,LAB, Tartu UB
GRATULATIO

*Claritate, Doctrina et Humanitate Conspicuo
DN. PERORANTI.
M. MARTINUS NICOLAI FAXELIUS:
Per Anagram.
MARTIUS INCOLA; IN MELIUS FAX!*

*INCOLA terrarum sis MARTIUS. Auspice CHRISTO,
Fulgeat IN MELIUS rata Laus, FAX mentis honesta.*

Quod animitus ap.
LAVRENTIVS LVDENIVS, J.V.D.
et Prof.

³⁰ Cf. 1642.22-24 cum variatione.

13. Adr: Martinus N. Faxelius – Aut: Ericus P. Lerbeckius (cf. 12)

SKB, UUB, Växjö LB, H,LAB, Tartu UB
GRATULATIO

Aonidum in castris pro Rostris dicere, posse
Svaviter et doctae modulamina flectere lingvae;
Augustum titulum laudemque decusque meretur.
Hinc tua se Virtus tollit, MARTINE Magister,
5 Quando animum illustras iuvenili flore per Artes,
Sermonem docte fingis, laudasque Camoenas,
Nectareoque thymo spargisque papavere dicta.
Macte pijs ausis, dum floret temporis aetas,
Aonidum in castris semper bene dicere pergas,
10 Svaviter et doctae modulamina flectere lingvae:
Sic Patriae, sic Flos doctaeque vocabere Musae.

Quod animo gratul. apposuit
M. ERICVS P. LERBECKIVS.

14. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Martinus Faxelius (Dissertatio theologica de tribus SS. Trinitatis personis, Patre, Filio et Spiritu S. dictorum classicorum ex Psalm. 2. v. 7. et Johan, 15. v. 26. ἀνάλυσιν exhibens in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subijcietur praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Johanne G. Gezelio, /.../ <5.> April <Mai> /.../ - Dorpati Livonorum, 1641: Lit. acad.)

H, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctrina et Humanitate conspicuo

Viro-Juveni,

DN. JOHANNI GEORGII GEZELIO

Wesmannia-Sveco, amico meo certissimo,
de Tribus SS. TRINITATIS Personis, PATRE,
FILIO et SPIRITU SANCTO
Disputanti.

*Pollens Ebraeae et Grajae modulamine Svadae,
JANE, Sophum splendor Thejologumque³¹ nitor.
Vnio Divinae Triados; Monas et Trias una,
Jam labor ingenii est materiesque tui.
5 An nescis Tritum hoc? Una de Triplicitate
Vera loqui citra nemo pericla³² potest:
Quod mirabilius nil Trino Simplicem et Vno
Triplitem; sat nostrum comprobatur ingenium.
Rumpe moras! nil haecce movent. Mala rite refella<t>
10 Haeresiarcharum dogmata, dogma tuum.
Sidere felici Clariam conscende Cathedram;
Si quid, ut est, laudis, laus ea vera tua est.*

Fraterno ex animo apposui
M. MARTINUS N. FAXELIUS
Nerikia-Svecus.

15. Adr: Johannes Georgii Gezelius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio philosophica de amicitia; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae est Dorpati /.../ sub praesidio /.../ Laurentii Ludenii,

³¹ *Thejologumque* edd metri causa

³² *pericla* edd metri causa

./../ pro reportandis magisterij solennibus, ./../ publ. examini ad diem 18. Septemb. ./../ submittit
 Johannes Georgii Gezelius, ./../ - Dorpati Livonorum, 1641: Typ. acad.) H, EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Praestantiss. et Humaniss.
Dn. RESPONDENTI.
 JOHANNES GEORGII GEZELIUS,
Per Anag.
 ZONIS LEGIS IN EGREGIA VEHO.

LEGIS Amicitiae ZONIS, reverenter Amicos
Hinc VEHO, Dante Deo, semper IN EGREGIA.

In felix omen app.
 LAURENTIUS LUDENIUS,
 J.U.D. et Professor.

16. Adr: Friedrich Hein – Aut: Andreas Virginius (Disputatio theologica in caput tertium usque ad v.
 16. D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens in Regia Academia Dorpatensi publicae
 censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, ./../ respondente Friderico Hein, ./../ d. 31. Julij, ./../ -
 Dorpati Livonorum, 1641: Lit. acad.) SKB, BRAN, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Ad Humaniss. et Doctiss. Dn Respondentem
 FRIDERICUM HEINIUM.

Praebes divinis aures hortatibus: effers
 Ut veteres maculas fons lavet unus aquis.
 Felix, qui sacris montis erexeris orbem,
 Quique Dei gaudes cognitione frui.

Sc.
 ANDREAS VIRGINVS, Nob. Pom.
 SS. Th. D. ejusdemque Professor Primarius, et
 Protosynedrij Adessor.

17. Adr: Friedrich Hein – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 16) SKB, BRAN, [Tartu UB]
 GRATULATIO

FRIDERICUS HEINIUS:
Per Anag.
 IN FIDE CURRIS JHESU.

IN FIDE ovans, bene Discipulus tu CVRRIS JHESV:
Curre; Bono Jhesu fide; FIDEque vire.

In felix omen ap.
 LAURENTIUS LUDENIUS, J.U.D.
 et Professor.

18. Adr: Friedrich Hein – Aut: Johannes Holm (cf.16) SKB, BRAN, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Ethnica gens, ignara Dei, simulachra Deorum
 Finxit; et idolis impia sacra tulit.
 Ignem, nunc coluit Solem, Delphumque putando,
 Non alium mundi scepra tenere Deum.
 5 Nos, quibus in Christum alma fides, haec mittimus, arcto
 Faedere conjuncti, mente animoque Deo.

Suo intimo gratular. f.

JOHAN Holm.

19. Adr: Friedrich Hein – Aut: Martinus Henschelius (cf.16)

SKB, BRAN, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Ut generosus equus duris spectatur in armis,
 Cum mortem horribilem tympana pulsa sonant;
 Non fugit horribilos strepitus, verum impete cursu
 Reppetit; et diri praelia Martis amat.*
 5 *Mox fremit, hinnitum ingeminat, pedibusque procacem
 Prosternit Martem, ac obvia quaeque necat:
 Sic Generosa Patris soboles FRIDERICVS anhelat
 In magnos hostes impiger ire DEI.
 Hostica Pontificum nihil hic subterfugit arma:
 10 *Et nil Calvinii praelia dura timet.
 Non timet horrendos SOCINI vultus; At omnes
 Ex verbo Domini rite fugare studet.
 Hic flat; responsa ingeminat, verbisque procacem
 Hostem disturbat, telaque cuncta secat
 15 *Hinc tibi de facto hoc quivis gratatur, Amice,
 Vt bene coepisti, non male curre viam
 I pede felici; quo te trahit ardua virtus,
 Virtus, quae Docti nomen habere dabit:
 Omine sic fausto patrias remeabis ad oras,
 20 *Et magni Patris nomina magna geres.****

Doctissimo Dn. Respondenti, convictori suo
 suavissimo, paulo ante abitum dispu-
 tanti scribebat
 MARTINUS HENSCHELIUS,
 W<rie>z. March.

20. Adr: Michael Hintelmann – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de quadruplici adventu Domini et
 Salvatoris nostri Jesu Christi: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 21.
 Decemb. anno 1640. publice /.../ enarrabat Michael Hintelman, /.../ - Dorpati, 1641: Typ. acad.)

SKB, UUB, Växjö LB, H, EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Doctissimo et Ornatissimo
 DN. PERORANTI.
 MICHAEL HINTELMAN:
 Per Anag.
 HINC MELLA HIANTEM!*

*Sit felix faustusque! labor sit MELLEus ille,
 Quo nobis Dominum Venientem dicis Jësum!
 En Venit, a prima promissus origine mundi,
 Majestate DEUS, verusque HOMO Carne; verendus*
 5 *Partus Virgineus, casta PVER editus alvo.
 En Venit o Solymam contempto vectus asello,
 Sufficiens ut sit pro toto Victima mundo.
 En Venit, Inferni spoliato carcere, dives;
 Sublimisque Venit superas subvectus in auras;
 10 *Ad Dextram sedet ipse Patris, Mundumque gubernat,
 Atque Suis praesens semper Venit inclytus Hospes.**

*En Veniet, mundo cum venerit ultimus aevi
Terminus, ut statuat poenas et praemia cuique;
Scilicet ut fontes Erebo condemnet: at ampli
15 Usque pios coeli vocet alta ad sidera Manes.
MELLEus ille labor: CHRISTO Duce et Auspice CHRISTO,
Ad MELLA HINC, maneant o secula MELLEa, HIANTEM!*

Quod animitus app.
Laurentius Ludenius, PH. et J.
U.D. ac Professor

21. Adr: Michael Hintelmann – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 20)

SKB, UUB, Växjö LB, H, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Sic, Permessidos ex sacrae quod amne
Solers Aonio Boni lucratus;
Sic, quicquid lepida beante Svada;
Sic, quicquid placide favente Nympha,
5 HINTELMANNE, Boni lucratus unquam es;
Grata mente, manuque redde grata,
Aeternae Soboli Patris Tonantis.
Pulsato (eja age) barbiton canorum!
Hymnum psallito regium obvianti!
10 Cantetque aethera cantica obvianti!
Si quicquam lepida beante Svada,
Si quicquam placide favente Nympha,
HINTELMANNE, Boni lucratus unquam es?
Pernix promito, et obviam obvianti.
15 Cyclus nam spaciosus hujus Orbis
Quotquot continet, usque crede, nemo est,
Isthoc qui valet arduo labore
Mox conferre brabea digniora;
Praeterquam hic DEVS ipsus, et DEO Par,
20 Semen Virgineum, Sator salutis.*

Jacobus Lotichius.

22. Adr: Benedictus Johannis Medenius – Aut: Laurentius Ludenius (Status regni Sveo-Gothici: quem, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ oratione solenni die 24. Martij, /.../ anno 1641. publice /.../ enarrabat Benedictus Joh. Medenius, /.../ - Dorpati, 1641: Typ. acad.)

SKB, UUB, London BL, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Doctissimo et Humanissimo
DN. PERORANTI.
BENEDICTUS JOHANNIS MEDENIUS;
Per Anagram.
EN! IN HIS MUNDO BENEDICAT JESUS.*

*Qvae, BENEDICTE, pie veneranda negotia sancti
Arctoi enarras orbis, rata commoda Geniis:
Semper IN HIS (cum sint Divini signa Favoris)
Arctoo, precor, EN MVNDO BENEDICAT JĔSVS!
5 Regius o Sangvis, Patriae Spes inclyta, celsa*

- Regina, Heroina, animis CHRISTINA serena,
Delicium Regni; felici floreat aevo.
Illustres Regni Proceres, per secula vivant!
Crescat et in totis sacrosancta Ecclesia terris!*
- 10 *Omnibus ac pollens possessa mapalia multa
Attribuat Virtus; donisque referciat amplis.*

Quod unice app.
Laurentius Ludenius, PH. et J.
V.D. ac Professor.

23. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio juridica de justitia: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 3. Februarij, anno 1641. /.../ publice /.../ enarrabat Johannes Petrejus /.../ - Dorpat, 1641: Typ. acad.) (cf. 54) SKB, Växjö LB, H, [UUB, Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctissimo et Humanissimo
DN. PERORANTI.
IOANNES PETREJUS:
Per Anag.
I! O SUPERANS, ENITE.*

I, comitante Deo: sacrum, famulante labore,
I coeptum O SUPERANS, ENITE honore novo.

Quod animitus ap.
Laurentius Ludenius, PH. et J.
V.D. et Professor.

24. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 23) SKB, Växjö LB, H, [UUB, Tartu UB]

GRATULATIO

JOHANNES PETREJUS:
Per Anag.
TV, JANE, HEROS IN SPE.

- Scalas gerens Olympicas, Olympique
Smaragdus, ille Scaliger, Procus Divum.
Et illud eloquentiae liquatum mel,
Jurisque, Iustus ille Lipsius, fulcrum.*
- 5 *Et illud excelsum gravissimae lingvae
Vallum Latinae, censor impiger Valla.
Et relliqui, quos Phoebus altius traxit,
Perennitati reddiditque sacratos,
HEROIS hocce tittulo³³ unice gaudent.*
- 10 *Hunc insimul passim labore sectati
Sunt, et simul passim sudore sectati.
Hos, JANE docte, svavis atque facunde;
Svadae decus; Peithusque dulce conamen;
Hos aemularier subinde contendis;*
- 15 *Asciscere hunc contendis tittulum³⁴ HEROIS,
Dum multiformiter Scientias multas,
Dum Iura praesertim vetusta, pertractas,*

³³ tittulo edd metri causa

³⁴ tittulum edd metri causa

*Dum et jam palam depromis eruditas res
 Thymo, lepore, melle, rore, stillantes.*
 20 *Hinc te tenella nostra Musa, si Musa est,
 Aequare coelo et crena et ore conatur.
 Sed ecquid a Vulgo beantur HEROES?
 TV, JANE, perge, et calcar adde currenti,
 Conare ut innotescat Fama perspecta,*
 25 *Cunctis ut innotescat Fama selecta;
 O curre currendo, atque perge pergendo!
 Et quicquid ille, Scaliger, Procus Divum,
 Et quicquid illud, Lipsius, liquatum mel,
 Et quicquid ille censor impiger, Valla,*
 30 *Subinde sunt passim labore sectati;
 Subinde TV passim sudore sectare,
 Hosque aemulari TV usque et usque contende.
 Sic numerum in HEROum decenter ascitus
 Sacraberis peremniduro honori, atque*
 35 *Phlegon trahet Famae decusque laudemque
 Ab ortu ad ultimum cubile Titani.
 Vt Omen, utque Nomen ante praesagit;
 TV, JANE, es HEROS IN sat erudita SPE.*

JACOBVS LOTICHIVS.

25. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Josephus Paulinus (cf. 23) SKB, Växjö LB, H, [UUB, Tartu UB]

GRATULATIO

JOHANNES PETREJUS:
Per Anag.
 AH IN RE JUS O PETENS.

Virgo Justitia offensa, IN JUS advocat omnes;
 Vt memoras doctis, candide Amice, sonis.
 Vivat Diva diu; tu narra jura beata,
 Atque sacri Justi commoda larga feres.
 5 Pulcrum tempus erit, quo laeto nomine dicam,
 AH nunc sacra IN RE JUS, o Amice, PETENS.

JOSEPHUS PAULINIUS, Vlsb. Svecus, LL. Stud.

26. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Henricus Hein (Sveogothicum jus civile, quod Landz Lagh nominatur: /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ oratione solenni, die 16. Maji, anno 1641. /.../ publice /.../ recitatum a Johanne Petrejo /.../ - Dorpati Livonorum, 1641: Typ. acad.) SKB, UUB, Växjö LB, BRAN, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctissimo Dn. Peroranti.

Siccine Romani spaciosa volumina juris
 Evolvisse diu non tibi, JANE, satis?
 Sed quoque sacrarum patriae pia dogmata legum
 Perfecte ut nosses altera cura fuit?
 5 Ast haec antiqua Gothiae quia soepe loquuntur
 Lingva, hincque haud dextre quilibet illa capit.

Tu nunc, ut cuivis Latio sermone patescant,
 Efficis, et summas cogis in exiguas.
 Quod bene dum praestas, merito tibi grator, Amice;
 10 Tu, quoque coepisti, tramite, perge viam.
 Perge, Deo et Themidi devota mente litare,
 Gaudeat ut studijs Svecia terra tuis.
 Perge, tuis coeptis decumana accessio tandem
 Fiet, et unde juves, unde juveris erit.

Honoris et amoris ergo apposuit
 HENRICUS HEIN U.J.D. Prof.
 et Dicast. Regij Adessor.

27. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 26)

SKB, UUB, Växjö LB, BRAN, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

JOHANNES PETREJUS JUN<E>COPINUS.³⁵

Per Anagr.

PIUS ANNITENS, IN HOC OPERE VIVES.

Et Sophiae et Themidos Cultor studiose, IOHANNES,
 Sic PIUS ANNITENS Arctoa evolvere Jura,
 Dexter IN HOC OPERE Eunomiaie per secula VIVES.
 VIVE PIUS: Nam te majoribus ire per altum
 5 Auspicijis manifesta fides, et Numina poscunt.

Quod in felix omen vovebat
 LAURENTIUS LUDENIUS, PH et J.
 V.D. ac Professor.

28. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Carolus Valerianus (cf. 26)

SKB, UUB, Växjö LB, BRAN, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Eunomia egregios peperit molimine gnatos,
 Juris Consultosque reliquit.
 Justinianus erat, Baldus, Geil, Papinianus,
 Vult eius, gravis arte Donellus.
 5 Insignis Grassus, Tiraquellus, Curtius, Oddo,
 SchneidWein, Schurfius, inde Brunellus,
 Klingius, optatus Cuiacius, ipse Hotomannus,
 Beust, Minsingerus, Gothofredus;
 Compluresque alij volventes pondera Legum,
 10 Lustrantesque volumina juris.
 Illustris Themidos Rector GUSTAVUS ADOLPHUS,
 Gloria Juris sancta triumphat.
 Composuit Sveonum Leges, et jura redegit
 Ad normam Eunomiaie Themidosque.
 15 *Macte piis animis, et coepto macte IOHANNES,*
Delicium Sophiae Themidosque:
 Tu tanti Regis studium veneraris: et apte
 Jam Sveonum repetis sacra Jura:
 Ad cathedram revocas; Themidosque Oratio claret,

³⁵ *JUNCOPINVS* corr in *JVNECOPINVS* anagrammatica causa

20 Atque Typis repetita refulget.
 Annuat Omnipotens; sancto i conamine felix,
 O Themidos Soboles placide audi.

Hisce gratulatur animus
 Caroli Valeriani.

29. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 26)

SKB, UUB, Växjö LB, BRAN, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Legibus Ausoniis, PETREI culte, Quiritum,
 Cultor Amicitiae non periture meae:
 Sic iuvat Arctoi Digesta tenere Lycurgi
 Et patriam Peithus melle polire Themis.
 5 Hinc laudem, inde satam Soracte merebere cedrum:
 Scilicet Aonidum nescia dona mori.*

JACOBUS LOTICHIUS

30. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 26)

SKB, UUB, Växjö LB, BRAN, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

JOHANNES PETREJUS JUNCOPINUS.
Per Anagr.
 UT INSONS VENENI, CEPHISI VAPOR.

Praedurum ut, Olim quod Genus Ossibus
 Matris, Promethides reparaverat,
 Froenat Themis; Strictisque habenis
 Est Nemesi data vis domandi;
 5 Sic Clarum ad Arctum quae Imperium tenet,
 CHRISTINA, gentem non superabilem
 Armis, et arcto congelatam
 Frigore, rite domat cata aequi.
 INSONS VENENI UT Fatidici VAPOR
 10 CEPHISI aquae, Aequae stat Themidi placens;
 Illum haurientes et tenace
 Venula, Honore facit micare;
 Embeccae amoenus Themidi VAPOR
 Nostrae Arcticae, aevum permaneat placens;
 15 Et, ti JOHANNI stent Honores,
 Dum Themis et Nemesis reident.

Syncerum et fraternum affectum sic
 contestari voluit
 Nicolaus Psilander, Smo-
 landia-Svecus.

31. Adr: Haquinus Platinus – Aut: Nicolaus Psilander (Disputatio philosophica de astronomiae natura:
 quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana /.../ publicae disquisitioni subjicit /.../ Johannes Erics Stregn.
 /.../ respondente Haquino Platino, /.../ ad diem 8. Maji, /.../ - Dorpati Livonorum, 1641: Lit. acad.)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctrina et Humanitate Conspicuo
 Dn. RESPONDENTI.
 HAQVINUS PLATINUS:*

Per Anagr.
AH! UT PINUS LINQUAS.

*Genialis en ti HAQVINO
PLATANUS, dicata Pani,
Nomen dedit PLATINO,
Virenti in horto amoeni
5 Nostris Heliconis.
Berecynthia alma at Axi
PINUS minans superba,
Merito addat omen, Ecce,
Poli aurei catervas
10 Dum colis ultro.
AH! Terrea usque spernas,
LINQVASque UT Alma PINUS;
Magnalia atque pergas
Scrutarier Supinus,
15 Condita ab Almo.
Hinc olim erit ti in orbe
Merces laboris ingens;
Eritque multiforme
Ti gaudium, Axis inter
20 Aurea claustra!*

Sic animitus vovebat
NICOLAUS PSILANDER,
Smolandia Svecus.

32. ADR: Haquinus Platinus – AUT: Faderus Arvidi Uraelius (cf. 31)

SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Perplexam Astrorum naturam reddere claram
Qui conatur, eum commoda multa manent.
Hinc venit utilitas, laus, gloria, fama perennis;
Et doctum meritum concelebrabit opus,
5 Sic, PLATINE, tuis scriptis monstrare laboras:
Ergo, HAQVINE, artis commoda tanta feres.
Constanti Clarias urge artes cordis amore,
Praemia Musarum pulchra tenebis! habes.

Ap. Amica et Fraternalis manus
FADERI URAELII.

33. ADR: Carolus Jonae Ruberus – AUT: Johannes Magni Silerus (Disputatio philosophica de mixtione; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ d. <14.> August. /.../ disputationis exercitia commisit /.../ Martinus Nicolai Faxelius, /.../ respondente Carolo Jonae Rubero, /.../ - Dorpati Livonorum, 1641: Lit. acad.)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Ornatissimo et Doctissimo Dn. Respondenti.

Difficile est, veram naturam noscere mixti;
CAROLE, quam vigili scrutari mente laboras.
Perge: DEUS, mixti venerandus Factor et Author,
Te juvet, ut possis naturam inquirere mixti;
5 Praemia et exhausto condigna referre labore.

Honoris et amoris E. gratul. fudit
Johannes Mag. Silerus,
Phil. Cand.

34. Adr: Carolus Jonae Ruberus – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 33)

SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

CAROLUS JONAE RUBERUS;
Per Anag. ae in a e resol:
VENIAS E SURCULO ARBOR.

Polymniae, RUBERE, es
Gratus RVBVS; foveatque
Rigatque SVRCVLVM te,
VENIAS quo amoena tandem
5 *E SVRCVLO ARBOR; A te*
Fructus legatque dulces.
Nunc cresce, mi RVBERE,
E SVRCVLO ARBOR alta,
Almo sacrata Phoebo:
10 *Quo, sentiant tenellae*
Musae, tuosque fructus
Cernant: Melos canantque.

NICOLAUS PSILANDER,
Smolandia-Svecus.

35. Adr: Nicolaus Eriici Rundelius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica in caput quartum a v. 27. usque ad v. 48 D. evangelistae Johannis selectissimas notas exhibens in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente /.../ Nicolao Eriici Rundelio, /.../ d. <> Xbr. /.../ - Dorpati Livonorum, 1641: Lit. acad.)

SKB, BRAN, [Tartu UB]
GRATULATIO

Praestantissimo et Humanissimo
Dn. RESPONENTI.
NICOLAUS ERICII RUNDELIUS:
Per Anag.
IN IESU DIV LVCENS CLARIOR.

Coelestem JESVS dispergens altius ignem,
Cunctis LVmen agit. Tanto fulgore beatus,
O Niclae; DIV LVCENS o CLARIOR esto
IN JESV! Modio lychmus non subditur ardens.

In felix auspiciis app.
Laurentius Ludenius, PH. et
J.U.D. ac Professor.

36. Adr: Nicolaus Eriici Rundelius – Aut: Johannes Eriici <Stregnensis> (cf.35)

SKB, BRAN, [Tartu UB]
GRATULATIO

Quem pietas decorat, quem cingit candida virtus,
Is magna certe laude vehendus erit:
Ast cum doctrinae splendor suffulserit, ille
Tanto Majori laude vehendus erit.
5 *Te quoniam stipant, RUNDELI, tot bona, tanta,*

*Hoc certe dico laude vehendus eris.
 Hoc etenim poscunt pietas, doctrinaque culta,
 Ac virtus merito praemia certa cupit.
 <Haec> qui non laudat, dignos qui laude negabit,
 10 Illi haeret duro cornea fibra sinu.
 Pergas, RUNDELI, coeptis insistere pergas,
 Sic tandem certe pulchra brabea feres.
 Festivo applaudet tandem tibi patria plausu,
 Laudibus et magnis concinet ista tuis.
 15 Sic nomen, doctrina, labor, laudesque manebunt,
 Sic tandem longi meta laboris erit.
 Sint tibi felices conatus, comprecor usque,
 Digna tuoque addat dona labore DEus.*

Sic Dn. Respondenti gratulor
 M. Johannes Erici Stregnensis,
 Astronom et Phys. Prof. Ord.

37. Adr: Ericus A. Schomerus – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica in caput secundum D. evangelistae Johannis selectissimas notas exhibens in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Erico A. Schomero /.../ d. 9. Julij. /.../ - Dorpati Livonorum, 1641: Lit. acad.) SKB, BRAN, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Humanissimo et Doctissimo
 Dn. RESPONDENTI.
 ERICVS ANDREAE SCHOMERVS;
 Per Anagram.
 NIDORE CHARVS MVSAAE, CREES.*

NIDORE Eusebiae, MUSAE sis CHARUS: et usque
 Tincta sacri Verbi corda tenore CREES.

Quod in felix omen acc.
 Laurentius Ludenius, PH. et
 J.U.D. ac Professor.

38. Adr: Ericus A. Schomerus – Aut: Magnus J. Salemann (cf.37)

SKB, BRAN, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Ceu sese exercere solent, qui castra sequuntur;
 Jam cupiunt, sumunt, fulgentiaque arma capessunt,
 Ut tandem capiant dulcis praeconia laudis;
 Utque manu celeri propulsent fortiter hostem:
 5 Sic quoque tu, SCHOMERE, facis, mi Sympatriota,
 Dum te VIRGINII variis involvis in armis
 E Chalybe haud factis, non aere; sed arte Jehovahae,
 Ut tandem summi scandas clara atria Coeli.
 Ut bene coepisti sic hinc pergas pede fausto,
 10 Et tibi post obitum bona gloria lausque manebit.*

Quod lubenti animo apposuit
 Magnus J. Salemannus.

39. Adr: Petrus Laurentii Schonbergius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio metrica de deliciis agriculturae: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 13. Januarij, anno

1641. publice /.../ memoriter habebatur a Petro Laurentii Schonbergio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1641:
Typ. acad.) UUB, H, RNB, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo
Dn. PERORANTI.
PETRUS LAURENTII SCHONBERGIUS:
Per Anagr.
SPES, LABOR, HUNC JUNGIT: RES VIRET.

SPES, LABOR, HUNC JUNGIT fructum, quem commodus effers;
RES VIRET Agricolis: tu bene, PETRE, VIRE.

Laurentius Ludenius, PH. et
J.U.D. ac Professor.

40. Adr: Petrus Laurentii Schonbergius – Aut: Magnus A. Hööck (cf. 39)

UUB, H, RNB, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Officium sequitur certum, Regni Incola, Svecus;
Et sua quisque fide munera civis obit.
Nobilis; est Clerus; Miles; Mercator; Arator;
Imperij culmen sic viget, ara, focus.
5 Nobilis Heroum virtus et vita, beatae
Vela struit certo limite justitiae.
Aeternae Clerus mysteria diva salutis
Explicat, et populo monstrat adire polum.
Expertus bello Miles, Cataphractus in armis
10 Intrepida plaudens casside bella movet.
Mercator mixto commercia civibus usu
Quaerit, et Oceanum puppe volante secat.
Rusticus arva colit dum victum praeparat orbi:
Sic omnis vitae dicitur esse basis!
15 Scilicet hic metit, occat, arat, nunc semina sulcis
Committit, rutro, vomere, falce, jugo!
Exercet juga trita boum, teretemque cylindrum
Conterit, atque satis horrea laeta parat.
Nunc pecudesque nola notat, et froenare caballos
20 Incipit, et certo sidere agenda tenet.
Hos tua Musa movet discursus, PETRE, Labore
Suscepto: coeptis opto favere Deum.

Gratulab. App.
MAGNVS A. Hööck /
OstGothus, SS. Theol. St.

41. Adr: Petrus Laurentii Schonbergius – Aut: Johannes Georgii Gezelius (cf. 39)

UUB, H, RNB, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Cvm flagrans cupias Musarum haurire liquores
Fonteque Pieridum, PETRE, fugare sitim:
Gratulor ex animo, voveoque ut Culmina felix
Parnassi scandas, Culmina sacra tibi.
5 *Quo Patriae charus, cunctis quo charus Amicis*
Permaneas, coeptis annuet ipsa Trias.

Quod sibi Dilecto sincero corde vovebat
Johannes Georgij Gezelius
Wesmannus.

42. Adr: Petrus Laurentii Schonbergius – Aut: Petrus Trottonius (cf. 39)

UUB, H, RNB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

PETRUS LAURENTII SCHONIBERGIUS³⁶:

Per Anagr.

EN LAUS TIBI CHRISTO: PERURGE
NISU.

Sunt quos delectant dubij certamina Martis;
Larga ac egregio praemia jure ferunt.
Caerula Neptuni freta sunt sulcare profunda
Qui gaudent, ausis digna brabeia ferunt.
5 Pergere per terras alio sub Sole calentes
Perplacet et multis; gloria et hisce datur.
Sunt queis telluri, volupe est, immittere sulcos
Hi quoque, dante Deo, commoda multa ferunt.
Sed tu, SCHONBERGI, Musae retineris amore,
10 Agricolae quando detegis officium.
Tantam virtutem per secula plena PERURGE
Consveto NISU; pulchra brabeia feres.
EN CHRISTO TIBI LAUS ingens sic usque paratur!
Perge, PETRE, ut pergis; sicque beatus eris.

Ita Amico suo fido gratulari voluit
Petrus Trottonius.

43. Adr: Johannes Magni Silerus – Aut: Andreas Virginius (Disputatio philosophica de meteoris; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, /.../ sub praesidio /.../ Laurentii Ludenii, /.../ pro summo in philosophia gradu consequendo, /.../ disputationis exercitio ad diem 10. Iulij, /.../ submittebat Johannes Magni Silerus, /.../ - Dorpati Livonorum, 1641: Typ. acad.) SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantiss. et Doctissimo
Dn. RESPONENTI.*

Ut multam glomerent tempestatem imbribus atris
Collectam ex alto Nubes: et discolor Iris
Splendeat aethereis circlis:³⁷ et Murmure coelum
Misceri incipiat: commista et Grandine Venti
5 Usque volent, simul arva fuga, simul aequora verrant,
Sacrarum Cultor Musarum, docte JOHANNES,
A prima doctis describis origine chartis.
Aspiret felix coepto fortuna labori,
Et, Christo Duce, erunt, meruit quae praemia virtus.

ANDREAS VIRGINIVS,
Nob. Pomeran. SS. Theol. D. ejus-
demque in Regia Academia Dorpatensi Pro-
fessor Primarius, et Protosynedrij Adsector.

³⁶ *SCHONIBERGIUS* edd pro *SCHONBERGIUS* anagrammatis causa

³⁷ *circlis* edd pro *circulis* metri causa

44. Adr: Johannes Magni Silerus – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 43) SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

JOHANNES MAGNI SILERUS:
Per Anagr.
EN! EN! HUMANIS SIS GLORIA.

*EN! EN! HVMANIS SIS GLORIA, Praeside Christo:
Sic felix Sophiae es GLORIA et Eusebiae.*

Quod in felix omen app.
Laurentius Ludenius, PH. et
J.U.D. ac Professor.

45. Adr: Johannes Magni Silerus – Aut: Andreas Matthiae <Torpensis> (cf. 43) SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Sic laetus merito Sophiam amplecteris in ulnis
Formosam sponsam rite, SILERE, tuam.
En pariet sobolem; faciet te prole beatum:
Excipies ulnis: nomen habebit, HONOS.
5 Conjugium precor ut tranquillum, sitque beatum,
Cano sic sonio commoda multa feret.*

Sic Fratri et amico suo singulari vovebat
ANDREAS MATTHIAE TORP.

46. Adr: Johannes Magni Silerus – Aut: Johannes Petrejus (cf. 43) SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Quisquis Parnassi cupit alta cacumina montis
Scandere; Musarum fidus amator erit.
Sic tua struxisti Parnassica vela triumpho;
Incoeptis opto plurima fausta tuis.

Quod conterraneo et Fratri fraterne
vovere voluit
JOHANNES PETREJUS Juncopinus,
Svec. LL. Stud.

47. Adr: Johannes Magni Silerus – Aut: Josephus Paulinus (cf. 43) SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Velox licet sit usque
Mugil; tamen sub unda
Captatur arte Rhombi.
Sic et potentiozem
5 Opibusque viribusque
Munitus arte, vincit.
Musarum et hinc caterva
Laudes canit perennes;
Lauruque eum coronat.
10 Sic tu, SILERE, gaude:
Nunc insolentioris
Aetatis euge crescit
Solatium otiumque.
Ecclesiae usque felix*

15 *Praesis Dei Potentis.*

Sic animitus vovebat
JOSEPHUS PAULINUS, Vlsb.
Svecus.

48. Adr: Petrus Trottonius – Aut: Andreas Flojerus (Oratio de otio vitando: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 15. Junij, anno 1640. publice /.../ habebatur a Petro Trottonio, /.../ - Dorpati, 1641: Typ. acad.)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo
Dn. PERORANTI.

Murtia quos segnis captivos detinet arcte,
Allicit hos prava ad perficienda mala.
Sed tu, TROTTONI studia o sic pergito amare:
Otia perpetuo desidiosa cave.
5 Sic Senio usque tuo pergratam rite quietem
Conciliare vales; tutus ab Hoste manes.

Quod ipsum fraterni affectus et firmioris
amicitiae causa ferebat
Andreas Flojerus,
Smolandia Svecus.

49. Adr: Faderus Arvidi Uraelius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de humilitate: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 16. Martij, anno 1641. /.../ publice /.../ enarrabat Faderus Arvidi Uraelius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1641: Lit. acad.)

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctissimo et Ornatissimo
DN. PERORANTI.
FADERUS ARVIDI URAELIUS:
Per Anagram:
VIRE ARDUIS: FIDAE LAURUS.

Vsque VIRE veluti LAVRVS pulcerrima: semper
VIRE ARDVIS: FIDAE mane LAVRVS rei.

Quod app.
Laurentius Ludenius, J.V.D.
et Professor.

50. Adr: Faderus Arvidi Uraelius – Aut: Andreas Matthiae <Torpenis> (cf. 49)

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Livore, en Siculi non invenere Tyranni
Majus Tormentum. Rodere dente solet.
Verum Humilis satagit quo serviat omnibus omni
In re: Nil pravi, ast cogitat omne bonum.
5 Sic, URAELI, animum, quo Humilis tu vixeris ultro.
Libasti Domino: ceu tua Svada probat.
Non hinc subsistas; sed verba haec exprime factis;
Et verbum ad summum duxeris omne bonum.

Non tam honoris, quam infucati amoris
E. apponebat
Andreas Matthiae Torp. Sma-

51. Adr: Faderus Arvidi Uraelius – Aut: Petrus L. Schonbergius (cf. 49) SKB, UUB,LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

FADERUS ARVIDI URAELIUS:
Per Anagram: ae in a e resol.
FERVIDUS AUDIRIS! LAVREA.

*Laude salutifera Virtus sit humillima digna,
Quando satis nunquam laudis habere potest.
Vt res grata DEO, sic proximo Humillima Virtus
Vnde satis nunquam laudis habere potest.*
5 *Est res grata DEO! sublatis corde resistit,
Ast, Humili prompta dat sua dona manu.
FERVIDVS AVDIRIS virtutem hanc quando celebras
Hacce tua charta, rite colore suo.
Hinc esto perstans Humilis virtutis Amator,
10 Atque tibi reddet LAVREA sertae DEus.
Hinc esto perstans Humilis virtutis Amator
Extollent cuncti te, tua coepta Boni.*

Ita Commensali suo gratulatur
Petrus L. Schonbergius, Ost-Go-
thia Svecus.

52. Adr: Faderus Arvidi Uraelius – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 49) SKB, UUB,LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

FADERVS ARVIDI URAELIVS:
Per Anagram. ae in a e resol.
DIVA SVADVLA; JURE FERRIS.

Sane Beatus sic Humilis siet;
Qui rite novit secum habitare: Qui et
Majorem haberi non cupit se
Quam est. Humilis jam habitabit orbem.
5 Hujus, tu URAELI, concelebrator es
Virtutis Almae: Sic quoque Amator: Haec
Quod DIVA et Hyblaea innuit re
SVADVLA: Ad aethera JURE FERRIS.
Pulcro tuam tu pectore perferas
10 Sortem: Superbi namque Humili locum
Tandem relinquent: Sic Manebis;
Nestoris et Pylij aeva vives.

Synceri affectus contestandi causa app.
Nicolaus Psilander. Smalan-
dia-Svecus.

53. Adr: Andreas Virginius – Aut: Nicolaus Psilander (Sceptra academicis, quae, /.../ in magnificum pro t. rectorem /.../ Andream Virginium, nob. Pom. haeredit. in Schweißien, /.../ SS. Th. D. et ejusdem in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ professorem primarium theologicaeque, Facult. p.t. decanum /.../ ac protosynedrij adsessorem /.../ magnificus p.t. exrector /.../ Johannes Belovius, Rostochiensis Megapolitanus, medicinae D. et professor ordinarius: publice /.../ die 2. Novembris anno

1641. /.../ conferebat: Gratulabatur /.../ Nicolaus Psilander, Smolandia-Svecus. – Dorpati Livonorum,
1641: Typ. acad.) UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

O decus excelsum, Mystarum Praesul, Honorque
DOCTOR VIRGINI; Mecoenas, vir Reverende;
Mystica pertractans, Fama super Aethera note,
Nobilior sanguis; Nostri decus atque Lycei.
5 En Summi Auspicio, Sceptra alta tenentis Olympi,
Poeoniae scitus DOCTOR BELOVIUS Artis
Unanimum Docti nec non venerabilis usque
Ordinis ad votum, Tibi candida signa Lycei
Rite regenda offert, Tyria et Diademata tradit.
10 Eusebiae o Doctor, Sacrata Insignia gestas:
Scilicet ut sacrae Eusebiae bene singula cedant.
O vigeat Probitas; o cognitio ardua Christi
Exsurgat; Christus rata sit Fidei Anchora nostrae:
Augmentum sumat Divini Numinis ardor:
15 Corda prematque Timor, sint subdita Cunctipotenti.
Relligio vigeat, sint plenaque pondere vota.
Pellatur vitium, vitentur crimina rerum:
Solvantur, merita et pendantur pectore grates.
Eusebiae o Doctor, sacrata insignia gestas;
20 Eunomia et Nemesis florescat Diva Themisque:
Scilicet aequum et jus, semper narretur ubique
Et Natale arvom servetur per probitatem,
Sub qua sint tuti Genitor Juvenesque Senesque:
Germinet ingenue superans industria cuncta.
25 Permaneat facilis veneranda Modestia vultus:
Consocians Animos concordia pullulet, atque
Cum Gnato Genitor, sitque hospes cum hospite tutus:
Discens atque Docens vinclo³⁸ jungantur Amoris.
Floreat optato stabilis constantia sensus,
30 Froenentur mentes; obturentur simul aures,
Blandisono cantu Sirenum ne capiantur.
Inclyta concordia pangantur foedera nexu:
Exornent dictum perpulchri Semina veri.
Exsurgat candor factis; morumque venustas.
35 Eusebiae o Doctor, sacrata insignia gestas.
Nempe Machaonia Ars, et Poeoniae ut Panaceae
Vis passim constet, pellens mala Semina morbi, et
Restituens toto lapsas in corpore vires.
Eusebiae o Doctor, Sacrata insignia gestas;
40 Augmentum ut sumant Divae ingenuae Sophiae artes,
Quae sanctae Eunomiae retinacula condere possint.
Sint cultae Lingvae; Latiae sacra jura Minervae:
Grajugenumque Thymus; Favus atque habeatur Ebraeus,
Con-que-cupiscatur Latonae a gente Togata.
45 O vigeant Artes, Arcani ad semina Veri,

³⁸ vinclo U pro vinculo metri causa

Gnossiacae filo et ducentes tramite recto;
 Solvier ut possint contorta Sophismata nodis.
 Neleidis Suada o vigeat; quo pulchra juvenus
 Rite Cothurnata ad Sacrata Academica Tempe
 50 Incedat felix, Hyblaeo nectare tincta.
 Naturae occulti mores, tacitique recessus,
 Et rerum causae volvantur mente sagaci.
 Addiscant juvenes, doctae rationis acuto
 Solertes modulo Numeros herciserere certas
 55 In partes; Nec non tractare Logistica puncta.
 Metiri discant loca longae dissitae terrae.
 Astrorum discant cursum vasti quoque Olympi;
 Discant Effectus gravium et discrimina rerum.
 Addiscat docilis morum praecepta Juventus,
 60 Summa Boni summi ut fastigia scandere possit.
 Eusebiae o Doctor, sacrata insignia gestas:
 Astripotens Dominus faxit quo Academica Turba
 Tranquillam vitam ducat sub Pallados umbra.
 Numinis almus honos hinc amplificetur: et usque
 65 Nominis in proprij laudes tua munera cedant.
 Apprecor ut vivas; vincatque aetas Pylj annos!
 Sint mea vota rata! His, Mecoenas summe, Valetō.

TV esto BonVs, sVrget LVX aLtera
 qVanDo NoVeMbrIs.³⁹

54. Adr: multi (Magnificis /.../ viris, In inelyta Rigensi Reipublica dn. Burgravio, dnn. consulibus, dn. syndico, et dn. senatoribus, dn. Mecoenatibus, Patronis et Promotoribus suis observanter colendis) – Aut: Johannes Petrejus (Oratio juridica de justitia: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 3. Februarij, anno 1641. /.../ publice /.../ enarrabat Johannes Petrejus /.../ - Dorpat, 1641: Typ. acad.) (cf. 23-25) SKB, Växjö LB, H, [UUB, Tartu UB]

DEDICATIO

Dn. Mecoenatibus, Patronis et Pro-
 motoribus suis observanter colendis,
 Salutem et Incolumitatem

Insignes Patriae Patres, Sacer ordo Senatus,
Aeternum Themidos Deliciumque Deae;
Ardua res, certe est, immensa volumina juris,
Contractis breviter posse referre modis.
 5 *Hoc opus, hic labor est; totum superare laborem*
Conatus, Christo concomitante, fui.
Quicquid erit; conor sanctis inscribere vestris
Nominibus: Strenae consecro scripta loco.
Accipite o Patres: tenuemque juvate Camoenam:
 10 *Vos, Patriae et Vobis servet ubique DEVS.*

Quod ipsum Mecoenatibus suis, et Musarum Patro-
 nis magnis, devote vovebat
 JOHANNES PETREJUS, Juncopinus
 Svecus, L.L. Stud.

³⁹ Chronostichon annum 1641 exhibens.

1642

1. Adr: Johannes Jonae Allengreen – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio practica de iustitia commutativa, ut et de jure: quae, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 20. Aprilis, anno 1642. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Johanne Jonae Allengreen, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

Västerås StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctiss. et Humanissimo

Dn. RESPONDENTI.

JOHANNES JONAE **Allengreen**

Per Anag.

REGENS AENEA NONNIHIL, O ALE.

*O sine fine REGENS, qua NONNIHIL AENEA surgunt
Tempora! Dante Deo, non ALE, Justitia.*

In felix omen app.
LAURENTIUS LUDENIUS,
Ph. et J.U.D. ac Professor.

2. Adr: Johannes Jonae Allengreen – Aut: Ingemar Petri Smetander (cf.5) Västerås StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Non ego Castalio mea labra liquore rigavi,
Quo te digna canam, quo tibi justa canam.

Attamen hoc dico: merita cum laude Cathedram
Ascendis merito, Praeside sub merito.

5 Quo duce vera doces, falsum dubiumque resolvis,
Quo duce declinas missilium segetem.

Ergo macte tuo auspicio, charissime Amice,
Sic ibi verus honos! sic tibi nomen erit!

Properante calamo apponebat
Ingemar Petri Smetander,
W-Gothia Svecus.

3. Adr: Johannes Jonae Allengreen – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf.5)

Västerås StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

O flos Eusebiae, doctrina macte Johannes,
Et juvenis Clario connumerande choro!
Sic amplecteris, Christo Duce et Auspice Christo,
Justitiam, ut nulli jam nocuisse queas.

5 Hinc factis, alijsque modis vis laedere nullum;
Vis fecisse alijs, quod tibi rite velis.

Perge, velut pergis; Christo, Regique placebis:
Et tua post obitum fama superstes erit.

Infucatae Amicitiae ergo apposuit
Petrus Caroli Udenius,
W-Gothus.

4. Adr: Johannes Jonae Allengreen – Aut: Petrus Jonae Bock (cf. 5)

Västerås StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Aurea Justitia est virtutum maxima virtus,
 Quam colis ex animo, doctrina macte JOHANNES;
 Hanc cultae valido rationis Marte tueris,
 Hinc tibi pulcra canent sacrae praeconia Musae.
 5 Gratulor ingenio, tibi quod bona fata dederunt,
 Exoptoque tuis studijs ego prospera quaevis.
 Dum licet o dulcem studiorum corpore fructum,
 Dextre propositi jam meta petita triumphet.

Quod animitus Amico suo sync<ero>
 pre<atur>
 PETRUS JONAE **Bock** /
 Carolstadius.

5. Adr: Johannes Anberg – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de homicidio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 2. Maji, anno 1642. publice /.../ enarrabat Johannes Anberg, /.../ - Dorpati, 1642: Typ. acad.)

SKB, UUB, Växjö LB, London LB, H, LAB, Tartu UB
 GRATULATIO

Pietate et Doctrina Ornatiss. Dn. Peroranti.
 JOANNES ANBERG:
Per Anag.
 BENIGNA RESONA.

Sit faustum et felix: RESONA quaecunque BENIGNA:
 Docta attolle bonum, deprime voce malum.

LAURENTIUS LUDENIUS, Ph.
 et J.U.D. et Professor.

6. Adr: Andreas Matthiae <Torpensis> – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio practica de justitia particulari, ut et de justitia distributiva: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../, die 21. Maji, anno 1642. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Andrea Matthiae Torpensi, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

SKB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Praestantiss. et Humanissimo
Dn. RESPONENTI.
 ANDREAS MATTHIAE TORPENSIS:
 Per Anag.
 ARDES TAM OPTATIS INHAERENS!

Pulchre ARDES studijs, TAM OPTATIS dexter INHAERENS:
ARDE, et perge pius: Fama superstes erit.

In felix omen as.
 LAURENTIUS LUDENIUS,
 Ph. et J.U.D. ac Professor.

7. Adr: Andreas Matthiae <Torpensis> – Aut: Benedictus Brodderi Cassiander (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Sanctam Justitiam, TORPENSIS suscipe Frater.
 Defendendam, quae dat meliora Bonis.
 Perge; velut pergis; nec justus desere callem
 Dans operam studijs, moribus atque pijs.

5 Perge velut pergis, paucis venientibus annis,
 Quo docto ingenio praemia digna feras.
 Nam virtus rerum, multas habet utilitates:
 Gratulor inde tibi; vive DEO atque Tuis.

Honoris, Candoris et amoris
 ergo apponebat
 Benedictus Brodderi
 Cassiander.

8. Adr: Andreas Matthiae <Torpensis> – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 1) SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

ANDREAS TORPENSIS.

Per Anag.

SPES RADIANS ORNET!

*Sic SPES Tenacis aequi
 RADIANS Viri, ORNET aevum!
 TORPENSIS assecla Acti,
 Bocchyris Orphicam ceu
 5 Vitam tueris, audax:
 Rhadamanthea et statera,
 Herciscis omni aequus:
 Ramnusius renides!
 Sic SPES Tenacis aequi
 10 RADIANS Viri ORNET aevum!
 Ceu Vultur Herculanus
 Dilancinare parcis,
 Quo lautiore praeda
 Potirier queas dein.
 15 Virtute macte, SPES te
 Tua mactat amplo Honore:
 Virtutum et Imperatrix
 Themis, Clientem adORNAT.
 Ne derelinque coepta, et
 20 Lauti haud rapina derit
 Pylij Dies valet,
 Patriae, Tuisque Charus.*

NICOLAUS PSILANDER.

9. Adr: Andreas Matthiae <Torpensis> – Aut: Laurentius Lohm (cf. 1)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

ANDREA, Dominam Virtutum, pernice cursu
 Justitiam sequeris; Diluis omne malum.
 Rite colenti vitae aequum stant praemia prompta
 Gloria et utilitas, exitus inde bonus.
 5 Sic pergas faustis avibus, remoras procul arcet
 Delius; hinc annos Nestoris usque Vale.

Ita Amico et Contubernali suo svavissimo anim.
 gratulari debuit ac voluit
 Laurentius **Lohm** / Smo-
 landia Svecus.

10. Adr: Olaus Michaelis Attorpius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de ministerio ecclesiastico: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ 6. die Julij, anno 1642. publice solenniterque /.../ enarrabat Olaus Michaelis Attorpius, /.../ - Dorpati, 1642: Typ. acad.)

SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Ornatissimo et Doctiss. Dn. Peroranti.

OLAVS MICHAELIS ATTORPIVS.

Per Anag.

IO, PIE; A CHRISTO MVLTA SALVS.

*Dic, PIE, IO? et placidum pertentent gaudia pectus;
A CHRISTO usque Plis MVLTA parata SALVS.*

In felix omen ap.
LAURENTIUS LUDENIUS, PH. et J.U.D.
ac Professor.

11. Adr: Olaus Michaelis Attorpius – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 10) UB]

SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Docte Novenarum mi cultor Olae Sororum,

Artes Eusebiae qui sine fine colis;

Suscipis egregie munus sublime, quod optat

In laudem sanctae cognitionis agi;

5 Divini pergis describere quando Ministri

Munia; res veluti postulat ipsa sacra.

Ardua res fateor, res est foecunda laborum,

Tu tamen hanc profers flumine doctiloquo.

Perge: Pium Sanctis studijs impende laborem,

10 Et tibi per Musas fama perennis erit.

Sic animitus Syncero vero Amico gratulatur
Petrus Caroli Udenius.

12. Adr: Benedictus Haraldi – Aut: Andreas Virginius (Oratio de amore, sive philostorgia liberorum erga parentes; quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae est Dorpati, /.../ die 26. Februarij anno 1642. publice memoriterque /.../ enarrabat Benedictus Haraldi, /.../ - Dorpati, 1642: Typ. acad.)

SKB, UUB, H, LNB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Ornatissimo Dn. Peroranti.

Qui Pater omnipotens, puerorum ex ore tenello

Ipse sibi laudes destinat, usque juvet:

Dulces conjungat Natos charosque parentes:

Sit Proles pietas officiosa velit.

Grat. sc.
ANDREAS VIRGINEVS, Nob.
Pom. SS. Th. D. ejusque Professor Primarius et Protosynedrij Adsector, ac p.t. Rector Magnificus.

13. Adr: Benedictus Haraldi – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 12)

SKB, UUB, H, LNB, [Tartu UB]
GRATULATIO

BENEDICTVS HARALDI:

Per Anag:

BLANDE CHRISTE, AVDI.

*Vt cordi sit Musa mihi, charique Parentes;
Blande meas Audi Christe vocate preces.*

In felix omen appon.
Laurentius Ludenius, J.V.D.
et Professor.

14. Adr: Benedictus Haraldi – Aut: Johan Anderson Appelbom (cf.12)

SKB, UUB, H, LNB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Ingenium monstras fulgens, patruelis amande,
Sangvine juncte mihi, tu Benedicte pie:
Dum de gnatorum storgis pol rite peroras
Filius ut Patrem fulgido amore colat.
5 Hoc ipso ostendis, venerari in honore parentes
Te, qui fers magnis aemula corda viris.
Efficis hoc ipso, quo te amplectantur amore,
Hinc studeantque pares, reddere amore vices.
Prospiciantque tuis studijs operamque paternam
10 Navent, quo possis multa referre bona.
Hinc igitur redama, simul indulgeque labori,
Sic in perpetuum praemia multa feres.
Sic vives illis charus vivesque beatus
Ingenio pollens, prosperitate virens.
15 Nunc tandem jungo laetus mea vota priorum
Praeconum voci: vive valeque diu:
Vive valeque diu, Patruelis semper amande,
Vlterius studium Christus ametque tuum.*

Patrueli suo Ch. Hisce gratul.
Johan **Andersson Appelbom.**

15. Adr: Petrus Jonae Bock – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio practica de morum dignitate: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ 2. die Aprilis, anno 1642. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Petro Jonae Bock, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

UUB, Karlstadt StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Doctissimo et Humanissimo
Dn. RESPONDENTI.
PETRUS JONAE BOC:
Per Anag.
TU COR BONAE SPEI!*

*Ingenuae Morum Gravitati dedite Petre;
Vsque BONAE TV COR profer in orbe SPEI.*

In felix omen app.
Laurentius Ludenius,
J.U.D. et Professor.

16. Adr: Petrus Jonae Bock – Aut: Johannes Jonae Allengreen (cf. 15) UUB, Karlstadt StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Pergrave sit, fateor, naturam noscere morum,
Mi Petre, o frater semper amande mihi!*

Sit grave; sed pulcrum est. Christo Duce et Auspice Christo,
 Te radijs virtus Musaque docta beant.
 5 Hinc tibi consurget cum nomine gloria magna,
 Quae duret Pylis secula multa senis.
 Teque sacrae tandem decus immortale Camoenae
 Aethereis pennis fama superstes aget.

Quod lubens cecinit
 JOHANNES JONAE **Ällegreen**

17. Adr: Petrus Jonae Bock – Aut: Paulus Florenius (cf. 15) UUB, Karlstadt StB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Musarum cultor, morum instillas gravitatem.
 Rimaris nisu, et sedulitate probas.
 Dirige victrici praecepta salubria fasce,
 Et defende tuas dexteritate theses.
 5 Sic dextrae ingenium virtutis gratulor amplum;
 Et precor, hinc, Christo Praeside, doctus eas.

Amico suo sincero ita gratulari voluit
 PAULUS FLORENIUS.

18. Adr: Petrus Jonae Bock – Aut: Johannes Andreae Gadd (cf. 15) UUB, Karlstadt StB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Morum dum pulcro gravitatem dogmate monstras.
 Quidque velint tradis tempora, quidque negent:
 Egregij ingenij monstras, mi PETRE, recessus,
 Defendendo tuas dexteritate theses.
 5 Gratulor ingenio virtutis et artis amori,
 Gratulor, et coeptis omina fausta precor.
 Insta, pervolve assidue rata scripta Sophorum,
 Et pulcrum nomen candida fama feret.

Amico suo singulari gratul. fudit
 Johannes Andreae **Gadd** / Mariaestad.

19. Adr: Petrus Jonae Bock – Aut: Christophorus Olai Carolstadius (cf. 15)
 UUB, Karlstadt StB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Fortiter ut Musae, Petre, es rata castra secutus;
 Sic bene defendis Sympatriota theses:
 Pro quibus ingenuae rationis acumine pugnas
 Ingenij flumen docta loquela probat.
 5 Perge bonis avibus, pia semper scripta revolve,
 Semper ita accrescet nomen in orbe tuum.

Conterraneo suo suavissimo, manu et
 animo apposuit
 Christophorus Olai Carolstadius.

20. Adr: Petrus Jonae Bock – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de angelis: quam, /.../ in Regia
 Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 12. die Aprilis, anno 1642. publice /.../ enarrabat Petrus
 Jonae Bock, /.../ - Dorpati, 1642: Typ. acad.) SKB, UUB, Karlstadt StB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Praestantissimo et Doctiss. Dn. Peroranti.

PETRVS IONAE BOC:

Per Anag.

TV ES PRAECO BONI.

*Tv bene PRAECO BONI ES, dum plenus Numine, dicis
Angelus ut Sanctus CHRISTOque Hominique ministret.*

In felix omen s.
LAURENTIUS LUDENIUS, PH. et
J.U.D. ac Professor.

21. Adr: Petrus Jonae Bock – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 20)

SKB, UUB, Karlstadt StB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Sadducaea cohors, ac secta posthuma proles,
Ingenio reprobo vivit, dum pernegat ipsas
Angelicas mentes hominumque Deique ministros.
Sed tu Pierij decus, o pie PETRE, Theatri*
5 *Commenta illorum victrici Marte retundis,
Pulpita dum scandis praesenti mente Lycaei,
Nestorea et lingua quod sit sacer Angelus addis.
Soepe Deum precibus per vota vocare memento,
Vt tibi custodes, Procere hos, addat ubique.*
10 *Hinc Natale solum, Christo duce, visere quando
Incipies, sit dux Ales Sacer, opto, viarum.*

Ex Synceriori Affectu accinit
Petrus Caroli Udenius,
W Gothus.

22. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. Patris Patriae /.../ Gustavi Adolphi, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1636. /.../ a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.)⁴⁰

SKB, UUB, LAB, LNB, [Tartu UB]
DEDICATIO

CHRISTINA,
REGINA
SVECIAE.

Per Anagramma:

CHARIS
IN REGNA IT
SVECIAE.

*Sancta CHARIS; CHRISTINA-CHARIS; Regina Serena,
IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.
Salve, Sancta CHARIS; Salve, Regina: JEHOVA
Auspice, sis REGNIS Sancta vocata CHARIS.*

23. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. induperatoris equitis /.../ Gustavi Adolphi, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 6. Novembris anno 1637 /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.)⁴¹

SKB, LAB, [Tartu UB]
DEDICATIO

CHRISTINA,

⁴⁰ Idem 1642.23-24; cum variatione 1641.11.

⁴¹ Idem 1642.22, 24; cum variatione 1641.11.

REGINA
SVECIAE.
Per Anagramma:
CHARIS
IN REGNA IT
SVECIAE.

*Sancta CHARIS; CHRISTINA-CHARIS; Regina Serena,
IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.
Salve, Sancta CHARIS; Salve, Regina: JEHOVA
Auspice, sis REGNIS Sancta vocata CHARIS.*

24. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas vere magni /.../ Gustavi Adolphi, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1640 /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.)⁴² SKB, UUB, LAB, [Tartu UB] DEDICATIO

CHRISTINA,
REGINA
SVECIAE.
Per Anagramma:
CHARIS
IN REGNA IT
SVECIAE.

*Sancta CHARIS; CHRISTINA-CHARIS; Regina Serena,
IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.
Salve, Sancta CHARIS; Salve, Regina: JEHOVA
Auspice, sis REGNIS Sancta vocata CHARIS.*

25. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. Herculis academici, /.../ Gustavi Adolphi, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1641. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.)

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
ENCOMION

*Serenissimae et Potentissimae Princi-
pi ac Dominae,
DN. CHRISTINAE,
Svecorum, Gothorum, Vandalorumque
Reginae Electae, ac Principi Haereditariae; Magnae Prin-
cipi Finlandiae; Duci Esthoniae et Careliae;
Dominae Ingriae, etc.
Dominae et Reginae nostrae Clementissimae.*

Inclyta Progenies GUSTAVI Regis ADOLPHI,
Aeterni Soboles Herois Regia; sancta
Heroina; decus Patriae, CHRISTINA; Serena
Arctoo Regina throno, solioque verenda:

⁴² Idem 1642.22-23; cum variatione 1641.11.

5 *Rex-Pater, aeternae fulcrum Pietatis, et illud
 Dulce jubar terrae, Divus GVSTAVVS ADOLPHVS,
 Ardua Progenies Regum, Celsissimus Heros;
 Eripuit postquam diverso ex hoste trophaeae,
 Eruit et Levones belli e graviore tumultu;*
 10 *Illustris Victor; celsum dum laeta triumphum
 Vox canit, et longas resonant Capitolia pompas;
 Respicit, et quanta discit Livonia tellus
 Continua gravium seret calcata malorum
 Fessa labat; passim infelix dum soevit Erinnyis*
 15 *Contemptrix Superum, tristisque avidissima fraudis.
 Densa dolet soevarum inter deserta ferarum
 Agricolas humilem Levonum traducere vitam!
 Regia ferre jubet dociles mandata per aures
 Vt deponantur gentilia numina pagis,*
 20 *Vana superstitio et veterum cultura Deorum.
 Imperat ut veri coelestes Numinis haustus
 Accipiant populi, mentesque in nube jacentes
 Sancte illustrentur Divini ad luminis ignes.
 Imperat ut Probitas omnes cingatur in usus,*
 25 *Temperet et praestans humana pericula virtus.
 Mox loca dat populis, ubi Christum jugiter orent:
 Sanctae Palladium erigitur sublime Minervae; et
 Hic, ubi Dorpatum, surgunt Academica Tempe.
 Rex pius, invitat pretiis, et praemia ponit*
 30 *Digna Professore, ingenuo qui tincta lepore
 Corda creet Juvenum, monitis et voce magistra
 Informet, dotesque alto cum pectore jungat.
 Rex pius, invitat pretiis, et plurima ponit
 Praemia; Mercurij ut Soboles, generosa Propago,*
 35 *Dum dociles facilesque anni, dum mobilis aetas,
 Addiscat sancti Divina Oracula Verbi;
 Quodque Stagirites, schola dixit quodque Platonis;
 Papinianus item, et celebris medica Arte Machaon.
 Assignata tamen deerant data jugera campi,*
 40 *Certaque diversis exercita frugibus arva;
 Prataque, et arboribus spectabilis undique sylva.
 Quippe, Pater Patriae Divus GVSTAVVS ADOLPHVS
 Linquebat dulces Animas pro Arisque Focisque
 Ante, suos caperent quam facta exordia fines.*
 45 *Sancta CHARIS, CHRISTINA-CHARIS, Regina Serena,
 Regibus Arctois Regina Heroibus orta,
 Sancta tui est animi Pietas, Clementia sancta,
 Et sancta est victrix hujus Sapientia mundi,
 Quae nostras humiles Musas explorat; et inquit;*
 50 *Sanctis pulcra Aris alimenta et commoda Musis
 Sufficiam; Cererem expediam; dabo jugera campi,
 Vt quoties Soles longinqua retorserit aestas,
 Hinc propriis toties reditum det culmus aristis
 Et medio addictas aestu terat area fruges.*

- 55 *Regia, cara Deo, Pietas ita dixerat; atque
Aeterno veniunt haec Vero consona verba.*
HEINIUS HENRICUS, Themidos gravitate Professor,
Eunomiae Doctor, nostri decus usque Lycej,
Dexter adest, comitum Angelica stipante caterva,
- 60 *Oratorque pie proponit humillima vota,
Quae demisso Embecciades de pectore promunt
Atque humiles orant Regalia Numina Musae:
Si visum, ut segetes reddensque alimenta quotannis
Assignetur humus Dorptensibus aequa Camoenis.*
- 65 *HEINIVS haec humili demissus dixerat ore;
Quando salutaris magnum o Jovis Incrementum,
Sancta CHARIS, CHRISTINA-CHARIS, Regina Serena,
Annui Illustri sensu, Indultoque beato
Ad Christi laudem in medium donaria ponis,*
- 70 *Divinis relevasque Animis Academica Tempe
Regalique manu pulcerrima praedia donas.
Magnifici Proceres Regni, totusque Senatus,
Illustres plenis partes assensibus implent,
Divinum auxilium exoptant et commoda Musis.*
- 75 *Optata accipimus diffusi jugera campi
Agrestesque Lares, et certa mapalia; ceu sunt
Quadringentae Hubae, triginta tresque: relatae
In decies septem et quatuor pulcro ordine pagos,
Hic ubi confinis bellacibus Ingria Moschis;*
- 80 *Gaudeat ut tantis crescens Academia donis,
Paulatim et propriis flavescat campus aristis.
Inclyta Progenies Regum, Regina Serena,
Quis poterit meritas digne persolvere grates?
Est tua sancta humiles servans Clementia Musas*
- 85 *Vt Rex introeat CHRISTVS, rata Gloria Regni.
Concedente Deo, Christo Duce, et Auspice Flatu,
Gratia tota tua est, tuaque Indulgentia sancta,
Pulcrius has habitat quod Pallas cultior oras.
Prodiga divitias, alimentaue mitia tellus*
- 90 *Suggestit; admistae succrescunt frondibus herbae:
Sunt fruges; sunt mella thymi redolentia flore;
Sunt pecudes; vivunt armentaque gramine laeto.
Aeterno cujus semper sub Numine nostra est
Eusebia, Eunomia, et Panacea, et candida Pallas,*
- 95 *Omnipotens rerum DOMINVS, Monas et Trias una
Persolvat meritas grates, et praemia reddat.
Salve, Sancta CHARIS; Salve Regina Serena;
Stet fortunae Domus totum regalis in aevum,
Celsius aeterno pulcre illustretur honore;*
- 100 *Regia perpetuis se Gloria terminet astris,
Atque per immensas veniant praeconia Gentes.
Delicium o Patriae vivas, per secula vivas;
Audendo bella expedias victricibus armis;
At maneat nostri Clemens Tutela Lycej.*

- 105 Et, vos Illustres Proceres, Regnique Potentes,
Quorum sancta humiles juvat has Custodia Musas;
Et felix Bonitas, Duce CHRISTO, Castaliam inter
Arma in Pace armat, nostram armavitque Thaliam,
Vt multum defensa sonent Academica Templa
- 110 *Vivere recte, cuique suum dare, laedere nullum;*
Vivite: semper Honos vester, laudesque manebunt,
Et sacri annales Bonitatum encomia dicent.
Vivite Musarum Columen: per secula tota
Rideat Illustris vultu fortuna sereno.
- 115 *Nulla operis famam poterit delere vetustas,*
Posteritas serum laudes extendet in aevum.

Ita ex voto Magnifici Dn. Rectori, totiusque
 Senatus Academici in Regia GUSTAVIANA,
 Die 16. Sep. Anno 1638. vovebat animus
 et calamus
 LAURENTI LUDENII, PH. et J.U.D.
 ac Professor.

26. Adr: Israel Laurentii Drysander – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de cognitione sui: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 29. Junij, anno 1642. publice memoriterque /.../ enarrabat Israel Laurentii Drysander, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.)

UUB, Växjö LB, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn.
PERORANTI.
ISRAEL LAURENTII DRYSANDER:
Per Anag.
NIL ERRANT; ARS SYLVA REI:
DEDI.

NIL ERRANT; ARS SYLVA REI remanentis opima:
 ARS ET SYLVA REI, se bene Nosse; DEDI.

Grat. ap.
 Laurentius Ludenius, PH.
 et J.U.D. ac Professor.

27. Adr: Elisabeth Jacobsdotter – Aut: Petrus Trottonius (Een kort och enfaldigh Lijkpredikan, Vthi /.../ Elisabethae Jacobs Dotters /.../ Jeremiae Agricolaes /.../ Hustrus Lijkfärdh, Hwilcken /.../ den 27. Julij, /.../ i Rijga affsompnadhe, och hennes S.Lijk, ther samma städes uthi S. Jacobs Kyrka begroffs den. 1. Augusti, Anno 1642. Hållen aff Sigfrido Petri, Wib. Carelio, Pastore Regiminis. – Dorpt, <1642>: J. Vogel)

Lund UB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

EPICEDIA.

- Sic vitae humanae multo ante extrema Senectae*
Tempora labuntur, letho et succumbimus ipsi!
Res facit ipsa fidem: moribundos pulcris artus
Spiritus o linquit, totum corpusque relinquit!
- 5 *Vixit dives avis, habitu et virtute coruscans*
Matrona, atque ipsum decus altum, Elisa Jacobi
Chara viro, et parvo Mater charissima nato.
Sed cadit ante diem, partu et pia lumina claudit,

10 *Vivere per multos dignissima Nestoris annos.*
Sic Mulier pomi ob morsum, mandante Jehova,
Plenae dolore parit, summo in discrimine vitae!
Si pereat partu; ceu formosissima Mater
Illa Rachel periit; nunquam tamen illa peribit,
 15 *Sed Christo veniet per secula amabilis hospes.*
Divine hinc Pastor, chara viduate Marita,
Pone modum lacrymis; chara, indulgere dolori
Ulterius noli, soboles; tua vivit in axe
Dilecta o genetrix: cum Christo vivit amice.

Haecce pauca condolentiae
 ergo
 apposuit
 M. Petrus Trottonius.

28. Adr: Elisabeth Jacobsdotter – Aut: Georgius Hornigk (cf. 27) Lund UB, [Tartu UB] EPITAPHIUM

Sub persona Defunctae.

1.

Ah Dödh/ ah Dödh tu grymme Gäst
Tigh kan man ey vnvijka!
Tu kommer medh en blekan Häst/
Och gör oß alla lijka;
 5 **Ja/ högh och lågh/ gammal och ung**
Tu förraster och fäller
Tu in till Werldens sidsta stund
Menniskiom snaror ställer.

2.

10 **Hwarsör hafwer tu Bogan tin**
Vpspönt/ moot migh elende/
Medh Pijlar skarp' I Hiertat inn
Skutit/ thär jagh wäl kunde
Genomlefwa mången godh Dag/
I kärligheet och sämia/
 15 **Medh min Man kär/ effter Gudh Lagh/**
Och mins Sons bästa främia?

3.

20 **Som Röock och Damb förswinner bort/**
Och Strömmen medh hast rinner;
Altså gåå våra Dagar fort/
Thet jagh nu här besinnar:
Wälluktand' Ört och Blomster all
Är' vnderlagd förwijsning;
Altså Kroppen I Jorden kall/
Giftwes Matkom till Spijsnin.

4.

25 Doch tröstar migh at jagh af Jord
 Vpståå skal och framkomma
 På Dommedagh/ effter Gudz Ord/
 Deel hafwa bland the Fromma;
 Medh Frögd och Fridh Ewinnerlich
 30 Besittia Himmels-Booning/
 Thet Christus hafwer wswat migh/
 Medh röda Blodz-Försoning.

5.

Therför'/ O Werld/ jagh tigh med Frögd/
 Vttersta Vale säger;
 35 Förwanter warer wälförnögd/
 Gudz Godheet öfwerwäger:
 Från stoor mödo jagh löses här/
 I nngåår till ewigh Lijsa/
 Thär jagh medh heela Himmels-Häär
 40 Må Herran Jesum prijsa.

6.

Vtterst/ min Man/ och Son så spädh/
 Stryker Tårar af Kinner:
 Tröster Eder altijdh thär medh/
 At I migh återfinden
 45 I Engla-Chor/ medh Glädie stoor/
 Sampt myckin Lust och Gamman/
 Tijt/ Christus som I Högden boor/
 Wil föra oß tillsamman.

Epitaphium.

50 *Me, Lector, gelida ne plores morte peremptam,
 Aemula si quosvis mors rapit atque necat;
 Tu modo, quisquis eris, vana haec ludibria mundi
 Gaudiaque Exemplo spernere disce meo.*

Haece pauca Condolentiae
 ergo canebat
 Georgius **Hornigk** /
 Abogius.

29. Adr: Paulus Svenonis Florenius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de Deo Trinuno: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 7. Julij, anno 1642. publice /.../ enarrabat Paulus Suenonis Florenius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.)

SKB, UUB, Karlstad StB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.
 PAULUS SVENONIS FLORENIUS;
Per Anag.
 IN PLAUSU FLORENS, NISU OVES.

IN PLAUSU FLORENS; Christo Duce et Auspice Christo,
Dexter OVES NISV hoc candidiore precor.

In felix omen ap.
LAVRENTIVS LVDENIVS, PH.
Et I.V.D. ac Profess.

30. Adr: Paulus Svenonis Florenius – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 29)

SKB, UUB, Karlstad StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Praestans Musarum decus, optime PAVLE SVENONIS,
Sic docta lingua quae sunt Divina profaris.
Quippe quod Ens primum siet, a quo caetera fiunt,
Quod sit per sese vivens, Sapiensque Bonumque,
5 A nullo accipiens quod habet: verum omnia ab illo
Accipiunt vitam, et pulchrae nutrimina vitae.
Non dubitandum ergo, sed corde atque ore fatendum
Hunc ipsum esse Bonum, rerum causamque bonarum.
Perge, velut pergis, sic doctior ipse redibis
10 Inde domum. Deos Omnipotens tua coepta secundet,
Et reduce[m] Patrijs te salvum sistat in oris
Et faciat sis inde redux ad limina nostra.*

Gratulabundus adjecit
Petrus Caroli Udenius,
W-Gothus

31. Adr: Paulus Svenonis Florenius – Aut: Petrus Jonae Bock (cf. 29)

SKB, UUB, Karlstad StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Secretum Magnum est; Deus Almus Trinus et Unus:
Tota silet ratio hic, hic stupet omnis homo.
Sic sacra esse docent nos Biblica scripta: *Floreni*
Disserit haec eadem docta Minerva tua.
5 Sedulus atque Vigil sacrata arcana reclude;
Hic laudem, atque illic gaudia habebis; Ave.

Quod animo gratul. apposuit
Petrus Jonae **Bock** / Carol-
stadius

32. Adr: Paulus Svenonis Florenius – Aut: Christophorus Olai (cf. 29)

SKB, UUB, Karlstad StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Mystica Sacra Dei, studio qui discit honesto,
Ipse operam cum spe divite rite locat.
Hoc, o Paule, facis, mi Sympatriota probate,
Dicens; Omnipotens Trinus et Vnus adest.
5 Ergo tui in vanum sudores non revocantur;
Faenore sed largo praemia magna feres.*

Honoris E. faciebat
Christophorus Olai, Ca-
rolstadius.

33. Adr: Gustav Adolph – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. patris patriae /.../ Gustavi Adolphi, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia

Academia Gustaviana, /.../ die 6. Novembris anno 1636. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio,
 /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.) SKB, UUB, LNB, LAB, [Tartu UB]

EPICEDIUM

In summe HEROICUM
 Obitum et Abitum
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,
 DN. GUSTAVI ADOLPHI,
 Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regis,
 Magni Principis Finlandiae, Ducis Esthoniae et Careliae,
 Domini Ingriae etc.
Domini et Regis sui quondam Clementissimi, nunc Beatissimi.

Tristia continuo turbantur pectora planctu,
 Et gravidi lachrymis oculi rorantur obortis!
 LUMEN abest! LUMEN! quo vix praelustrius ullum
 Justitiae sparsit radios, atque ingenij ignem!
 5 Tristia difficili tabescunt lumina fletu!
 NUMEN abest TERRESTRE! nihil sublimius Arctos.
 Quo nilque haec tellus Septem – subjecta – trioni
 Fortuna majus meliusve aspexit in isthac!
 Omnia diverso miscentur moenia luctu!
 10 Divinum COLUMEN rerum, nutantibus altum
 Orbe, Urbe! aeternum nictantibus occidit umbris!
 Ite! Ite in lachrymas! solvit se Svecia luctu!
 Regibus Arctois, Divis Heroibus, ortus,
 Rex Hominum, Rex coelesti virtute Serenus,
 15 Praesidium ruituri Orbis, GUSTAVUS ADOLPHUS,
 Mundi hujus rediviva Salus, Sol, Phosphorus, altum,
 Occidit! et longum nictantibus occidit umbris!
 Ite! Ite in lachrymas! lachrymis se Gothia solvit!
 Rex! Rex! aetherei quo vix reverentior alter
 20 Numinis, aut animis coelestis amantior Aequi,
 Occidit, et nostrum luctum omne extendit in aevum!
 Ite! Ite in lachrymas! Lachrymis effunditur omnis
 Moscovita! Arctous! Dacia! Sarmata! Vandalus! Hunnus!
 Rex, Sancti custos Recti, Defensor Honesti,
 25 Justitiae usque tenax dictis, factisque: Bonorum
 In commune Bonus: cujus *Patientia* corpus
 Formabat, nulli ut cuperet cessisse labori;
Temperies, casta ut peteret; *Prudentia* ne quid
 Inconsulto ageret: *Constantia* futile ne quid
 30 Susciperet; felix rerum *Sapientia*, ne quid
 Excellens fugeret ventosa pericula virtus;
 Occidit! in serum clauduntur lumina somnum!
 Ite! Ite in lachrymas! Lachrymis se candida solvit
 Simplicitas! Lachrymis sanctum se solvit Honestum!
 35 Marte Gravis, Martem Gustans, GUSTAVUS-ADOLPHUS,
 Induperatorum Flos atque Medulla bonorum;
 Qui CHRISTI pro Lege, pio qui pro Grege CHRISTI

Armisonas acies, vexilligerasque Phalanges
 Duxit, et imparibus se crebro immiscuit armis
 40 Alternans multa vi praelia: coelica Victor
 Per populos ut jura daret, sacrata Cohorsque
 Viveret hinc CHRISTO, viam et affectaret Olympo;
 Sanctam animam posuit! pro Pace in vulnera ponit!
 Ite! Ite in lachrymas! Lachrymis se saucia solvit
 45 Eusebia, Eunomia, et Panacea, et maxima Pallas!
 Arte gravis, Martem Arte regens, GUSTAVUS ADOLPHUS,
 Telluris rediviva Salus! Patriae! Pater orbis!
 Non passus peragi male-fanda! horrenda! tremenda!
 Naufragium in patrio signari littore! vulgus
 50 In pecudum cecidisse cibos! sua viscera-Prolem
 Torquente esurie torquere in viscera Matres!
 Et pulcra transferri atavorum a stirpe revulsa
 Imperia, ad Pharaonem alieno stemmate natum
 Progeniem Israële satam qui nescijt; alta
 55 Quam cupijt vi extinctam et mersam fluminis unda!
 Sanctam animam posuit! pro Vita in vulnera ponit!
 Sic Sanctus Pelicanus agit! se eviscerat uncis
 Ungvibus, ut vivant redituram pignora vitam!
 Morte cadit Victor! Vitam moriendo reponit
 60 Arctous Simpson! nunquam morietur inultus.
 Non aliter Phoenix; quum sese imponit in altum
 Quem struit ipse rogum, cantus dulcedine mira
 Nondum perfectos plaudenti morte relinquit:
 E cinere inde Redux mox Phoenix nascitur. Artus
 65 Mors anima, nunquam CHRISTI seduxerit armis.
 CHRISTO dante, Redux armis, pie, nascere, Phoenix;
 Morte sua Victor vivit GUSTAVUS ADOLPHUS.

Cum S. Reg. Maj. Sanctae Exuviae
 Wolgasto Pomeraniae die 16. Iulij Anno 1633.
 In Navem Illustrissima pompa deferrentur, ut in Sve-
 ciam Regio Mausoleo inferrentur,
 Jussu Magnifici Dn. Rectoris to-
 tiusque Senatus Academici in Uni-
 versitate Gryphiswaldensi,
 inter lachrymas humilis e. s.
 Laurentius Ludenius, PH. et
 J. U. D. Poët. Cor. et Prof. Ordinarius.

34. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. principis militiae /.../
 Gustavi Adolphi, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia
 Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1638. /.../ aeternitati consecrata
 a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.)⁴³

SKB, LAB, [Tartu UB]
 EPICIDIUM

REX
 GUSTAVUS
 ADOLPHUS:
Per Anagramma;

⁴³ Cf. 1642.35-36 cum variatione.

REX
 AUGUSTUS
 HAS DUPLO.
 Symbolum S. Reg. Maj.
CVM DEO ET VICTRICIBVS ARMIS.

HAS DUPLO AUGUSTUS terras Victricibus armis,
 Dum tua coelestis Gratia, CHRISTE, favet.

35. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas inclyti nostri /.../ Gustavi Adolphi, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1639. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.)⁴⁴

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

REX
 GUSTAVUS
 ADOLPHUS:
Per Anagramma;
 REX
 AUGUSTUS
 HAS DUPLO.
 Symbolum S. Reg. Maj.
CVM DEO ET VICTRICIBVS ARMIS.

HAS DUPLO AUGUSTUS REX res Victricibus armis,
 Dum tua coelestis Gratia, CHRISTE, favet.

36. Adr: Gustavus Adolphus – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. Herculis academici, /.../ Gustavi Adolphi, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1641. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.)⁴⁵

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

REX
 GUSTAVUS
 ADOLPHUS:
Per Anagramma;
 REX
 AUGUSTUS
 HAS DUPLO.
 Symbolum S. Reg. Maj.
CVM DEO ET VICTRICIBVS ARMIS.

HAS DUPLO AUGUSTUS REX res Victricibus armis,
 Dum tua coelestis Gratia, CHRISTE, favet.

⁴⁴ Idem 1642.36; cf. cum variatione 1642.34.

⁴⁵ Idem 1642.35; cf. cum variatione 1642.34.

37. Adr: Martinus Henschelius – Aut: Jacobus Lotichius (Disputatio theologica exhibens cardinalem fidei Christianae articulum de justificatione hominis peccatoris coram Deo. Quam in Regia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est, Academia publicae ventilationi subijciebat sub praesidio /.../ Andreae Virginii, /.../ autor et respondens Martinus Henschelius, /.../ die 5. Febr. /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

LAB, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctrina et Humanitate conspicuo
Dn. RESPONENTI.*

*HENSCHELI, favior tui colende
LOTICHI; Uranies decus verendae:
Te colunt Aganippides puellae,
Illae doctiloquae, bonae puellae,
5 Pimplae Numina quas novena dicunt:
Ipsae comiter hae colunt puellae
Te, lumenque suum sibi cupiscunt.
Nam tu Palladis pereruditus
Artibus Sophiae sat eruditus.
10 Hebraeo, Latioque rorulenta,
Et Grajo venusina flat lepore
Lingua, et cordirapas refert loquelas.
Nec satis: sed honorus usque cultor
Divinae Triados linis pagellas
15 Vivaci Aegeria, Thymoque sacro.
Occludis vada sulphuratae Lethes,
Foedam stirpitus elocas Memphitin,
Et Diae Themidos viam repandis.
En stragem Aegisonam, favor Minervae,
20 Languet Haeresiarcha cum catervis.
Grator. Perge velut subinde pergis,
Et sic Haereticis, Amice, scripta
Quovis porrige melle dulciora,
Quovis porrige et aere fortiora.*

Jacobus Lotichius.

38. Adr: Martinus Henschelius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica de bonis renatorum operibus, quam in Regia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est, Academia, praeside /.../ Andrea Virginio, /.../ publice ventilandam proponit autor et respondens Martinus Henschelius, /.../ habebitur /.../ d. <> Maji, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

LAB, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantiss. et Humanissimo
Dn. RESPONENTI.
MARTINUS HENSCHELIUS:
Per Anag.
HIS NAE LUMEN CHRISTUS.*

HIS NAE LUMEN adest CHRISTUS conatibus HIS NAE
LUMEN adest Animis CHRISTUS. Amica Quies!

In felix omen ap.
LAURENTIUS LUDENIUS, PH. et
J.U.D. ac Professor.

39. Adr: Martinus Henschelius – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 38)

LAB, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

MARTINVS HENSCHELIVS MARCHIACVS:
Per Anag.
SALVS MEA CHRISTVS: HINC REVINCAM.⁴⁶

MEA Spes SALVSque CHRISTVS;
Inquis, Probate Victor.
MEA Spes SALVSque CHRISTVS
Nil inde Viperinis
5 *Mihi morsibus nocebit*
Caterva bracteatis
Renitens perinde lauris.
Dic Haeresis globata,
Conducat an Renatis,
10 *Et sanctam et illibatam*
Mendis fovere vitam?
Oppone, si quid audet,
En, quisquis es, REVINCAM.
Manicheus es? REVINCAM.
15 *Epicurus es? REVINCAM.*
Calvinus es? REVINCAM.
Es Pontifex? REVINCAM.
Photinus es? REVINCAM.
Arius es, REVINCAM.
20 *En, quisquis es, REVINCAM.*
MEA Spes SALVSque CHRISTVS
HINC VINCAM, et HINC REVINCAM.

JACOBUS LOTICHIVS.

40. Adr: Henricus Martini Hierzelius – Aut: Andreas Virginius (Oratio de philostorgia parentum in liberos: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Martij, anno 1642. publice /.../ memoriter enarrabat Henricus Martini Hierzelius, /.../ - Dorpati, 1641: Typ. acad.)

SKB, UUB, H,LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO*Ornatissimo Dn. Peroranti.*

Qvanta sit in sobolem charorum cura Parentum,
HENRICE, eloqueris candidiore modo.
Aeternum venerare Deum, venerare Parentes,
Et sit mens Recti conscia tota tibi;
5 *Charior inde Deo, charisque Parentibus ipsis,*
Esse potes, Cunctis charior atque Bonis.

ANDREAS VIRGINIVS, Nob. Pom.
SS. Th. D. in Regia Acad. GUSTAVIa-
na Prof. primarius, ac Protosynedrij
Adsess. et p.t. Rector Magnific.

41. Adr: Henricus Martini Hierzelius – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 40)

SKB, UUB, H,LAB, [Tartu UB]

⁴⁶ Anagramma non recte constructum.

GRATULATIO

HENRICUS MARTINI HIERZELIUS:
Per Anag.
 RITU ZELI MIHI CURIS INHAERENS.⁴⁷

Sis RITV ZELI MIHI CURIS totus INHAERENS
 Officij; Zelus curaue fausta venit.

In felix omen app.
 LAVRENTIVS LVDENIVS, PH.
 et I.V.D. ac Professor.

42. Adr: Georg Johannis Hornick – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de philadelphia: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ 9. die Martij, anno 1642. publice et memoriter /.../ enarrabat Georgius Johannis Hornick, /.../ - Dorpati, 1642: Typ. acad.)

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Pietate et Doctrina Ornatissimo
Dn. PERORANTI.
 GEORGIUS JOHANNIS **HORNICK**
Per Anag.
 CHARIOR IN SIGNO HOC JUNGES.⁴⁸

Ante quidem CHARVS: Verum adnascentia IVNGES
CHARIOR IN SIGNO HOC pectora. IVNGE pius.

In felix omen app.
 LAURENTIUS LUDENIUS, J.U.D.
 et Professor.

43. Adr: Georg Johannis Hornick – Aut: Petrus L. Schonbergius (cf. 42) SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

GEORGIVS IOHANNIS HORNIGC:
Per Anag.
O, HONOR HIC NI GRAVIS? GIGNES!

Per binos annos te tinxit noster Apollo
DORPATICVS dulci rite lepore suo;
Vt non horrescas conscendere pulpita Phoebi, et
Discere quod Fratrum gratia magna siet.
 5 *O, HONOR HIC NI Sat GRAVIS? addat plura Lyceum*
Abogiense, ut HONOR sit GRAVIS inde satis.
Hic ut coepisti, Laribus sic redditus insta:
Non dubito, GIGNES, hic pium honorem et ibi.

Sinceri affectus ergo Contubernali suo lepido
 ita gratulatur
 PETRVS L. SCHONBERGIVS
 OstGothia Svecus.

44. Adr: Martinus Johannis Hornick – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de civitate: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ 4. die Aprilis, anno 1642. publice et memoriter /.../ enarrabat Martinus Johannis Hornick, /.../ - Dorpati, 1642: Typ. acad.)

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]

⁴⁷ Anagramma non recte constructum.

⁴⁸ Anagramma non recte constructum.

GRATULATIO

Pietate et Doctrina Ornatissimo Dn.
PERORANTI.
MARTINUS IOHANNIS *HORNI CC*,
 Per Anag.
HINC IN CHRISTO ANIMUS: ORNA.

HINC IN CHRISTO ANIMVS vigil adsit: Civis, amicam
O ORNA Patriam! fama superstes erit.

In felix omen app.
 LAVRENTIVS LVDENIVS, PH.
 et I.V.D. ac Professor.

45. Adr: Martinus Johannis Hornick – Aut: Petrus Laurentii Schonbergius (cf. 44)

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

MARTINVS IOHANNIS HORNIGK ABOGIENSIS:

Per Anag:

IIS NONNE KARTHAGO HOMINIBVS? SIGNARIS!

KARTHAGO Civitas, IIS
Olim Viris excelluit
O NONNE Civibus, bonis
Qui Legibus beati erant?
 5 *Sic est: Adhuc per Seculum*
(Laus dicta nostro sit Deo)
Artis Chori tenerrimae
Exstant, honorum et gaudia;
Exstent asylum Candidis,
 10 *Terror malis; diu sient*
Vrbes piae, leges Sacrae.
MARTINE, Musa dextime
Promit tua haec conamine.
 15 *Opus pium: Laus est tua:*
SIGNARIS ergo laudibus
Post hos labores plurimos.
Corona abhinc SIGNABERIS
Semper virente! Vivito.

Contubernali suo Svavissimo
 app.
 Petrus Laurentij Schonbergius,
 OstGothus.

46. Adr: Martinus Johannis Hornick – Aut: Georg Hornick (cf. 44)

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

MARTINUS JOHANNIS HORNIGK,
 Per Anag.
 IN MAGNIS NASCITUR HONOR: I!⁴⁹

⁴⁹ Anagramma non recte constructum.

Qvisne advesetur merito? si dixero, MAGNUS
 NASCITUR IN MAGNIS rebus amatus HONOR.
 IN Martis rebus, vera est sententia nostra,
 Namque IN ijs rebus NASCITVR almus HONOR:
 5 IN mercatura vera est sententia nostra;
 Nam mercatori redditur amplus HONOR:
 Quid referam artifices? vera est sententia nostra.
 Cultor et agrorum, dives honore venit.
 Quis vitio vertet? juvenem si dixero Phoebi
 10 Artibus addictum plurimo HONORE frui?
 Res, MARTINE, urges, loqueris dum de utilitate
 Civili: ti ergo redditur amplus HONOR.
 Non gressum sistas; I consociare Camoenis
 Dulcibus; et meritis te remanebit HONOR.

Fratri Germano fraterne
 adje.
 Georgius **Hornick**.

47. Adr: Martinus Johannis Hornick – Aut: Jonas Pauli Spinck (cf. 44) SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Civis es: elogium civilis et aemulus orbis
 Concinne instituis, Civicum et eloquium.
 Comprecor inde pie, tibi belle in secula cedat:
 Nominis ac crescat, Numine dante, nitor.*

Politoris literaturae Amico
 vovit
 IONAS PAVLI SPINCKIVS,
 Bothniensis.

48. Adr: Jonas Nikolai Katt – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de persona, officio et beneficiis
 Domini et Salvatoris nostri Jesi Christi: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est
 /.../ ipso die Parasceves anno 1642. publice /.../ enarrabat Jonas Nicolai Katt, /.../ - Dorpati, 1642: Typ.
 acad.) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctissimo et Ornatiss. Dn. Peroranti.
 JONAS NICOLAI CATT:
 Per Anag.
 INCOLA CASTI, NATIO.*

*INCOLA CASTI animi pia NATIO Gothica surgit:
 Vsque decus CASTI surge; beatus eris.*

In felix omen ap.
 LAVRENTIVS LVDENIVS PH. et
 J.V.D. ac Professor.

49. Adr: Jonas Nikolai Katt – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 48) SKB, UUB, H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Ingenium felix, mi JONA o docte, Prometheus
 Finxit, et acre tibi de meliore luto.
 Dissersis, ut discas in amore quiescere Christi:
 Dum inquis, quod pura Virgine natus homo est.
 5 Postmodo lethiferae mortis data subivit;
 Coeli ut aperta foret janua clausa prius.*

*Clausa prius vetito primaevae crimine matris,
 Quae malo nobis attulit omne malum.
 Hic maneat semper noster Servator ubique.
 10 Insertosque sibi nos sacra dextra tegat.
 Gratulor hincce tibi, precor adsit ubique Iehova,
 Qui regit arbitrio cuncta creata suo:
 Atque tuos dulces conatus usque secundet:
 Et veniant coeptis prospera fata tuis.*

Amico Animo, et gratulabundo
 calamo fudit
 Petrus Caroli Udenius,
 W-Gothus.

50. Adr: Jonas Nikolai Katt – Aut: Petrus L. Schonbergius (cf. 48)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

JONAS KATT.
Per Anag. pro K sumpto C.
 TANTA SCIO.

Putrida gustarunt praelauti mala parentes;
 Posthuma quo proles sat grave vulnus alit.
 Quisque suos rexit gressus, erravimus omnes;
 Qui fecit rectum, nullus in orbe fuit.
 5 Indigus omnis erat medici! sub sole repertus
 Saucia nemo potens membra levare malo.
 Coelitus exoritur Medicus, vitaeque Magister,
 Filius ille Dei, Virgine natus homo.
 Effuso cujus crucis en lucramur in ara
 10 Sanguine vitam, hinc et coelica porta patet.
 TANTA SCIO; laetor, nunc Christi Sanguine puri:
 Laetetur JONAS, noscere TANTA bona.

Festinanter app.
 Petrus L. Schonbergius,
 O-Gothus.

51. Adr: Jonas Nikolai Katt – Aut: Olaus Nicolai Bergius (cf. 48)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Ut sterilis semper, si non renovatur aratro
 Assiduo, remanet fertilis omnis ager:
 Ut sentit vere cariem rimisque dehiscit,
 Si qua diu solitis cymba vacabit aquis:
 5 Sic hominis constat multum sterilescere vitam
 Quae Domini Christi non meditatur opus.
 Cordi, mi IONA NICLAI, haec usque repone;
 Verba sacrata Dei, mente revolve tua.
 Pabula surgent hinc, spirantque alimenta salutis;
 10 Lautitiae insignes, queis recreatur homo.
 Impiger id facies, pandendo verbula viva,
 Quae patrio Christus protulit ipse sinu.
 Gratulor ergo tibi, gracili tenuique Camoena,
 Proficias studio dexteriore precor.*

Amoris ergo apponere voluit

Olaus Nicolai Bergius,
Smolandus.

52. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio de historiarum cognitione: quae, /.../ Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die < > Aprilis, anno 1642. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Christophoro Kühnio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

EAB (def), [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctissimo et Ornatissimo
Dn. RESPONENTI.
CHRISTOPHORUS CUNIUS:
Per Anag.
HUC, PRONUS HISTORICVS.

HVC referat genii curas et mentis acumen;
PRONVS et ad laudem veneris HISTORICVS.

In felix omen app.
LAURENTIUS LUDENIUS,
Ph. et J.U.D. ac Professor.

53. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 52)

EAB (def), [Tartu UB]
GRATULATIO

CHRISTOPHORVS CVNIVS, SACROSANCTAE
THEOLOGIAE STVDIOSVS:
Per Anag.
HISTORICOS PVLCHROS AVDIVI, LEGI: HOS
VSV TERO AC SECO, GNAVVS INSTANS ATRO.⁵⁰

Audijt Historicos pulchros, Legitque Quiritum
CVNIVS Annales, praeteritosque modos.
Hos Vsu terit, hos secat, hos replicando tuetur;
Hosti instans atro gnavus in arma ruit.
5 *Anchora fixa cubat. Clariae spes clara Minervae,*
CVNI, crede mihi, Phocide digna geris.
Vtpote Ephemerides, Veterum Monumentaque doctis
Quid conducant, mens non nisi docta sapit.

Jacobus Lotichius.

54. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Michael Schultetus (cf. 52)

EAB (def), [Tartu UB]
GRATULATIO

Spectatus bello miles qui sudat in hasta,
Qui non aestatis turbine fractus hiat,
Qui non acre gelu Boreae flatusque nivales
Curat, pro patriae sed gerit arma focus:
5 *Hujus habent crines nitidam de fronde coronam,*
Quam summus Princeps illi in honore parat.
Sic tu qui constans regnorum publica jura
Defendis, KVHNI, non sine laude facis.
Turba Novena dabit frondem, quam noster Apollo
10 *Ipse gerit, quam non ignis et unda rapit.*

⁵⁰ Anagrammata non recte constructum.

*Et pia posteritas famam deducet ad astra,
Et laus perpetuo non moritura fluit*⁵¹.

L. Mque a<posui>t
MICHAEL SCULTETUS,
Gorlicia Lusa

55. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Martin Jemerling (cf. 52)

EAB (def), [Tartu UB]
GRATULATIO

Qvi, veterum annales memorat, secreta recentis
Temporis et referat, Nomen ad astra vehit.
Hinc ego nil dubito, KVHNI doctissime, laurum
Quin tibi florentem summus Apollo paret.
5 Claras ingenij dotes disponis in arte
Historica, volvens sedulitate libros.
Perge velut pergis; conscendes culmina Pindi:
FIAT, cordicitus lingua manusque vovet.

MARTINI JEMERLINGII,
Stendalia March.

56. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio theologica in caput quintum a v. 1 usque ad v. 24. D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Christophoro Kuhnio, /.../ die <22.> April. /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

Västerås StB, BRAN, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss. Dn.
RESPONDENTI.
CHRISTOPHORUS CUHNIUS:
Per Anag.
OH! HINC PRO USU CHRISTUS.*

*Pro mundanarum rerum USU, tempus in omne
HINC, OH! sit CHRISTUS Vita Salusque mea.*

In felix omen app.
Laurentius Ludenius,
J.U.D. et Professor.

57. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Jacobus Lotichius (cf.56)

Västerås StB, BRAN, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Uvidis quondam redimite Bacche,
Pampinis, rorantibus et racemis:
Ut refroenas Pegasidum liquores
Atque calores?
5 Diva coelestis, PIETAS, superbit.
Cernis, ut cervice vegetur alta,
Et DEO nostro officiosa laudes
Vsque refundat.
Inde nunc Palmam PIETAS meretur,
10 Inde Laurum VIRGINIDES meretur,
Inde Laudem KUHNIADES meretur,

⁵¹ *fl*<...> textus corruptus : *fluet* corr

Bacche resulta!

Properanter promebat
Jacobus Lotichius.

58. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Michael Schultetus (cf. 56)

Västerås StB, BRAN, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Materia e tanta dum disseris, atque refutas
Dogmata falsa, recens laus tua semper erit.
Rem facis ingenij docti conamine dignam,
Quamque probat dignis dexter Apollo modis.*
5 *Perge ita: Pieriis numeris tua gloria crescet:
Ingenium vivet, Fama superstes erit.*

Sic contubernali suo
Gratulab.
MICHAEL SCULTETUS, LL. Stud.

59. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio theologica de restitutione hominis: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ ipso die Viridium anno 1642. publice et memoriter /.../ enarrabat Christophorus Kühnius, /.../ - Dorpati, 1642: Typ. acad.)

UUB, H, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Doctissimo et Ornatissimo
Dn. PERORANTI.*
CRISTOPHORUS CŪNIUS:
Per Anag.
HUC PIUS; CHRISTUS HONOR.⁵²

*HUC PIUS appropere, se CHRISTO jungat JĔSU:
CHRISTUS noster HONOR; Deliciosus HONOR.*

In felix omen app.
LAURENTIUS LUDENIUS, PH. et I.U.D. ac Professor.

60. Adr: Matthias Lauterbach – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio in salutiferam passionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ ipso die Parasceves, anno 1642. publice /.../ enarrabat Matthias Lauterbach, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.)

SKB, UUB, H, LNB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctiss. et Humaniss. Dn. Peroranti.
MATTHIAS LAUTERBACHIUS:
Per Anag.
ALTA VITA! CHRISTUM HABES.

In Cruce nil clausum: ipsa patent tibi Viscera Christi.
VITA ALTA est, CHRISTUM semper amanter HABES.

In felix omen ap.
LAVRENTIVS LUDENIUS, PH.
et I.V.D. ac Professor.

61. Adr: Matthias Lauterbach – Aut: Andreas Bergius (cf. 60)

SKB, UUB, H, LNB, [Tartu UB]
GRATULATIO

MATTHIAS LAUTERBACHIUS

⁵² Anagramma non recte constructum.

Per Anag.
HAS, CHRISTI LAVAT, BEATUM.

*Inseruit Genitor quas ipsa ab origine sordes
 HAS roseus sanguis manans e vulnere CHRISTI
 Abstergitque LAVATque Renatum rite BEATVM
 Reddit, et aethereo Civem transcribit Olympo.*
 5 *Quae dum perpendis, pulcro dicisque labore,
 O bene ter felix, o terque quaterque BEATVS.*

ANDREAS BERGIUS,
 Wesmannus.

62. Adr: Ericus Petri Lerbeckius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de sacrorum Bibliorum meditatione: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 29. Januarij anno, 1642. publice /.../ enarrabat /.../ Ericus Petri Lerbeckius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)
 SKB, UUB, H, BRAN, EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Claritate, Doctrina et Humanitate Conspicuo

Dn. Peroranti.

M. ERICUS PETRI LERBECCIUS:

Per Anag.

SIC RE CUM PIIS CELEBRETUR.

Concedente Deo; SIC, o Praeclare Magister,
 Alta RE labor hac ingens exactus in arte est!
 Cum Musis sine fine PIIS CELEBRETUR: et usque
 Illustretur Honos CHRISTI. Tua Fama triumphet.

In felix omen app.
 LAURENTIUS LUDENIUS, PH. et I.U.D.
 Poë. Cor. et profess.

63. Adr: Jacobus Lotichius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de poetica: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, /.../ die 4. Junij, anno 1642. publice /.../ enarrabat Jacobus Lotichius, /.../ - Dorpati, 1642: Typ. acad.)
 SKB, H, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Doctissimo, et Humanissimo Dn.

PERORANTI.

JACOBUS LOTICHIUS:

Per Anag.

HIC OCULUS IBAS, ITO.

*HIC MVSARVM IBAS OCVLVS, Divine Poëta;
 Musarum ITO OCVLVS semper amabiliter.*

In felix omen app.
 LAURENTIUS LUDENIUS,
 PH. et J.U.D, ac Profess.

64. Adr: Jacobus Lotichius – Aut: Laurentius Ludenius (Exercitatio de futurorum meditatione: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 9. Julij, anno 1642. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Jacobo Lotichio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)
 UUB, Västerås StB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Doctiss. et Humaniss. Dn. Respondenti.

JACOBUS LOTICHIUS:
Per Anag.
 HIC LOTUS, I SUB OCIA.

HIC Aganippaeis constanter LOTUS in undis,
 I SUB piae Vitae OCIA.

in felix omen appon.
 Laurentius Ludenius, PH. et
 J.V.D. ac Professor.

65. Adr: Jacobus Lotichius – Aut: Johannes Georgii Gezelius (cf. 64) UUB, Västerås StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

JACOBUS LOTICHIUS RIGENSIS:
 ἀναγραμματιζόμενος;
 CHARUS ES, UBI SIS LOCI IGNOTI.

*Multum oculi ut clari sensus reliquos superare
 Possunt: Virtutum est sic Sapientia honor:
 Quid justus studio, vel quid Xerxes valet armis,
 Dum Prudentia abest? Sane opus omne cadet.*
 5 *Hinc Tu ut de specula conaris, docte LOTICHI,
 Pectus fonte sacro rite rigare tuum;
 Quo venias quondam Prudentum Consiliorum
 Inventor, Patriae ac Gentibus utilior.*
 10 *SIS LOCI VBI IGNOTI, tamen ES bene CHARVS ubique:
 Non Siculae Nymphae fallere te poterunt.
 Sis felix; Vivas Patriae, Charis et Amicis;
 Cumaeos valeas dexter ubique dies.*

Τῆς φιλίας ἀνυποκρίτον ἔνεκεν ἔγρ.
 M. Johannes Georgij Gezelius
 Wesmannus.

66. Adr: Jacobus Lotichius – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 64) UUB, Västerås StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

JACOBVS LOTICHIVS RIGENSIS:
Per Anag.
 CHLORIS SIBI JVNGET, SI VOCAS.

Ecquid, LOTICHI, vis meditarier
 Quae sint futura, haud rite hodierna habens?
 Prudentiam prodis tuam dum
 Talia sunt animo tuo apta.
 5 Sane Enthea est mens; Gratus eris Dijs,
 CHLORIS SIBI et te JUNGET amoribus,
 SI illam VOCAS; tempusque tecum
 Fallere destinat in lepore!

Quod praepropere adjiciens gratu-
 labundus vov.
 Nicolaus Psilander,
 Smolandia-Svecus.

67. Adr: Andreas Megalinus – Aut: Johannes Erici Stregnensis (Disputatio physica de mundo: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 12. Mart. anno 1642. /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ submittebat Andreas Megalinus /.../ author et respondens. – Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.) SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Praestantissimo, Humanissimo, literis et moribus conspicuo Viro-Iuveni,
Dn. ANDREAE MEGALINO, thesium
harum Authori doctissimo, ita gratulari voluit.

*Impiger Aonidum, MEGALINE, athleta Palestrae,
Splendida conscendis pulpita Palladij,
Egredie Physices tu jam scrutaris abyssos,
Et miris mulces pectora docta modis.*
5 *Demonstrans quid sint magni praecordia mundi,
Quae terrae facies, quae faciesque maris.
Describis formam quae sit Coelique Solique,
Quique utriusque locus, quiue utriusque situs.*
10 *Dum varios carpis per amoena rosaria flores,
Cernitur ingenij visque vigorque tui.
Ergo ceu pergis, pergas decurrere cursum,
Et cursu exacto pulchra brabea feres.*

M. JOHANNES E. STREGENSIS,
Astronom. et Phys. P.P.

68. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Andreas Virginius (Regni Poloniae historia: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 18. Maji, anno 1642. publice /.../ enarrabat Johannes Petrejus Junecopinus, /.../ - Dorpati, 1642: Typ. acad.)

SKB, UUB, Växjö LB, BRAN, LNB (def), [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.

*Sic nulla Historiam res utilitatibus aequat,
Praeteritos quae sola annos et tempora nobis
Suggest; et replicat quicquid longaeva vetustas
Actorum involvit tenebris, mergitque profundo.*
5 *Perge, pios animos lingua vincire diserta,
Et nova cura ratas meditando proferet Artes.*

G. s.
ANDREAS VIRGINIUS, Nob. Pomer.
SS. Th. D. et Professor primarius, ac
Protosynedrij Adessor, et pro t.
Rector Magnificus.

69. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 68)

SKB, UUB, Växjö LB, BRAN, LNB (def), [Tartu UB]

GRATULATIO

IOHANNES PETREIVS IVNECOPINVS:

Per Anag:

PIVS ANNITENS, IN HOC OPERE VIVES.

SIC PIUS ANNITENS OPERE HOC efferre Potentum
Acta Polonorum; bene IN HOC per secula VIVES.

In felix omen vov.
LAVRENTIVS LVDENIVS, PH.
et I.V.D. et Professor.

70. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Johannes Georgii Gezelius (cf. 68)
SKB, UUB, Växjö LB, BRAN, LNB (def), [Tartu UB]
GRATULATIO

*Te juvat Aonidum studio invigilare, PETREIE,
Ac varias Leges, et mores noscere et artes
Regnorum; quae Equitum turmas Peditumque phalanges
Sensere in Campis, ubi Cominus, eminus hostis
5 Cernitur; instructaque acie cataphractus in armis.
Sicque statuta refers REGUM, sic fortia facta.
Gratulor inde tibi, quia nec sitis Hippocrenes
Nec te sacra fames auri tenet, Austripetarum
Nautarum votum nec te juvat, aut premit usque;
10 Sed juvat Aonidum sacris, PETREIE, litare.
Doctrinae solidae Tu sedulitatem, et amicam
Omnibus optatam Concivibus integritatem,
Et mihi candorem syncerum huc usque probasti.
Unde tuum nomen longo jam tempore nostrae
15 Militiae innotuit, studiumque probataque virtus.*

ψήφου λευκῆς ἔνεκα
Amico meo syncere dilecto
scribebam
M. Johannes Georgij Gezelius.

71. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 68)
SKB, UUB, Växjö LB, BRAN, LNB (def), [Tartu UB]
GRATULATIO

*Scilicet hoc certum virtutis stat documentum;
Scrutari ritus, priscaque secla⁵³ virum.
Non tantum Arctoam Non JANNES, Nemesin, volvisti
Ponere in aprico; ast ad Peregrina et abis.
5 Regale a Fatis quoties diadema Polonis
Mutatum est, monstras ordine perfacili.
Est Labor hic cunctis, qui ardent virtutis amore
Usque placens; Almae tu hinc Themidi atque places.*

In felix omen
app.
Nicolaus Psilander

72. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Laurentius Ludenius (In abitum /.../ Johannis Petreji Junecopini, Smol. Sveci, LL. St. /.../ e Regia Universitate Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 22. Maji, anno 1642. in patriam Sveciam discedentis, quaevis fausta et prospera precantur Musae Embecciaes. – Dorpati, 1642: Typ. acad.)
SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]
PROPEMPTICON

JOHANNES PETREJUS JUNECOPINUS:
Per Anag.
CHRISTE, PIOS UNIS: VENI, OPE ANNUE.

⁵³ *secla* edd metri causa

QUI, pie CHRISTE, PIOS⁵⁴ UNIS: VENI, OPE ANNUE coeptis:
Tecum Vita venit; Te sine, Vita perit.

In felix iter app.
LAVRENTIVS LVDENIVS, PH.
et J.V.D. ac Professor.

73. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Andreas Megalinus (cf. 72) SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]

PROPEMPTICON

*Ut patrijs Iacob Laribus valedixit inanis
Omnium opum, pedum habens:
Et redijt Turbam in numerosam multiplicatus,
Velliferisque frequens;*
5 *Sicce tuam Patriam liquisti, Docte IOHANNES,
Difficili genio:
At repetis gressus, resalutas rura Penatum
Perfacili Genio.*
10 *Nunc voveo querulo tibi eunti pectore Fratri
Angelicos comites,
Hinc vivas Patriae, Matri, vivas et Amicis,
Te olim habeamque hilaris.*

Hoc voto Fratrem suum dimittit
Andreas Megalinus
Agundaydensis.

74. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Andreas Matthiae <Torpensis> (cf. 72)

SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]
PROPEMPTICON

Ingenuus Juvenis Jason de stemmate natus
Graeco, laudatur quod non trepidarit abire,
Ut caperet⁵⁵ nitidi vellera pulcra capri
Soeva pericla.
5 *Velleris haud albi; ast Musarum ductus amore
Non formidasti varijs te exponere damnis
Frigoris ac aestus, ferre paratus onus
Et Maris undas.*
10 *Retro solum patrium repetenti cuncta serenet
Astripotens, qui cuncta regit, TERRAM, MARE, Olympum.
Det Faciles cursus: Nomine avere meo
Dic et Amicis.*

His Contubernalem Iucundiss. et Fratrem
fideliss. dimittere voluit
ANDREAS MATTHIAE TORPENSIS.

75. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 72) SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]

PROPEMPTICON

JOANNES PETREJVS JVNCOPINVS:
Per Anag:
SVPERI ANNVENT. EOS VINCO PIIS.

⁵⁴ Pios edd : PIOS rectius

⁵⁵ Textus corruptus S

Qui rite supputaverit Camoenarum
 Justas querelas; qui et laboribus certum
 Signaverit modum, haud puto invenitur: Nam,
 Sithon Nives mittit subinde; flagrantem
 5 Aestumque Sirius; subinde paupertas,
 Sitis, famesque debiles retardant; Hinc
 Dolosa fercula apparat Pyreneus; Sic
 Scio hos labores esse multiformes; Vah!
 SUPERI ANNUENT; votis PIIS EOS VINCO; Et
 10 Ventura spero erunt Beatiora olim.

NICOLAVS PSILANDER

76. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Petrus Trottonius (cf. 72) SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]
 PROPEMPTICON

*Siccine fert animus, Themidos Studiose IOHANNES,
 Pallados et Soboles, Dorptas jam linquere Musas?
 Et Patriam gestis charam nunc visere terram?
 I, quia te Pia fata vocant, i nunc pede fausto
 5 Per mare, per terram ad patrias feliciter aedes!
 Supremus salvum ducat te Rector Olympi,
 Quo salvum videat⁵⁶ tua te dulcissima Mater!
 Comprecor haec animis⁵⁷. O suavis Amice valeto!*

Ita animo et calamo Amicum suum
 concomitari voluit
 Petrus Trottonj.

77. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Andreas Flojerus (cf. 72) SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]
 PROPEMPTICON

Vesta soluta Nive est, curat vitemque Priapus:
 Cum Nymphis ducit Gratia nuda choros.
 Guttore nunc querulo volucres modulantur Amores,
 Chare et tu JANNES, poscis abire procul!
 5 En gemitus cieo; Lachrymas funduntque Camoenae
 Nostrae Embecciaades, candida fletque Themis.
 Sed quid? propositos gressus moderetur Jësus,
 Termino ut obtento munera grata feras.
 Acceptus⁵⁸ venias Cognatis atque Propinquis:
 10 Nunc Valeas, Vigeas; sit facile hoc et iter.

Ita abeuntem Dn. fratrem, amicum et Con-
 terraneum praesequi volebat
 Andreas Flojerus.

78. Adr: Johannes Petrejus – Aut: Petrus Betulander (cf. 72) SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]
 PROPEMPTICON

*Mellis apes cupidae, procul hinc per prata recedunt;
 Vt redeant gravidae melle, repente domum.
 Sic per Musarum tu tempe, JANE, volasti*

⁵⁶ Textus corruptus S

⁵⁷ Textus corruptus S

⁵⁸ Textus corruptus S

In Patriam ut Themidos melle repletus eas.
 5 *Svave mihi fueras mel, dilectum et mel amicis:*
Ergo bonis avibus prosper ubique Vale.

Sic animitus vovebat
 PETRVS BETVLANDER.

79. ADR: Johannes Petrejus – Aut: Johannes Uraeus (cf. 72) SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]
 PROPEMPTICON

Nunc Dorpatenses Musas tu linquis, Amice,
 Atque Lares patrios visere rite cupis.⁵⁹
 Vita Beata alijs passim, moresque probentur,
 Atque Bonis placeas, displiceasque malis.
 5 Sic nulla⁶⁰ obvenerit bene doctae incommoda menti,
 Sed charus, cunctis gratus et Hospes eris.
 Jam quia nil aliud restat, quam vota precesque
 Syncero fusas pectore fundo preces:
 Te Salvum ducat Christus Salvator Jēsus,
 10 Quo melius coeptum perficiatur iter.

Abeunti suo Amico faciebat
 Johannes Vraeus,
 Smol. Svec.

80. ADR: Johannes Petrejus – Aut: Carolus Jonae Ruberus (cf. 72)
 SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]
 PROPEMPTICON

Eheu! Fama refert, PETREIVM linquere velle
Moenia Dorpati: Quid modo tristis agam?
Debeo num tristis suffundere lumina rore?
Debeo num lachrymis ora rigare datis?
 5 *Nam quod discedit PETREJVS sympatriota,*
Pectore concipio nil nisi triste meo!
Indoleo certe sic quod discedere gestit,
Et pariter mecum Dorptica Musa gemit!
Quem Themis edocuit; proprios cui spondet honores
 10 *Eunomia, et Charites certa brabea vovent;*
Ille procul nostris jam nunc discedit ab oris:
O utinam nostro hinc esset in orbe redux!
Sed sit iter felix! veniat mutatio felix.⁶¹
Sit locus hinc felix: Cuncta beata⁶² fluant.

Ita ap.
 Carolus Jonae Ruberus.

81. ADR: Johannes Petrejus – Aut: Faderus Uraelius (cf.72) SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]

PROPEMPTICON

Ipsa apīs, aestatis ceu tempore dulcia mella
Congerit; ut teneat⁶³; brumae lautissima fercla:

⁵⁹ Textus corruptus S

⁶⁰ Textus corruptus S

⁶¹ Textus corruptus S

⁶² Textus corruptus S

⁶³ Textus corruptus S

Tempore sic tenerae, doctissime *Iunecopine*,
 Aetatis, doctrinae animum bene melle refarcis,
 5 In Patria ut noscat victum ventura senectus.
 Vt salvus redeas, salvos cernasque Penates,
 Id calidi rogitō cordis penetralibus imis.

Contestandae infucatae Amicitiae gratia apposuit
 FADERVS VRAELIVS,
 Smol. Svecus.

82. ADR: Johannes Petrejus – Aut: Johannes Anberg (cf. 72) SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]
 PROPEMPTICON

*Dic, mea Musa, mihi, quare suspiria ducas?
 Quis casus? vel quae causa doloris adest?
 Quid casus quaeras? et quae sit causa doloris?
 Nescis PETREJVM quaerere tecta patris?*
 5 *Desiste his rugis faciem turpare decoram:
 Fac abeat, Themidos voce docebit ibi.
 Dic, i felici pede, carpe viam amne secundo,
 Et Musis promptus adesto manu.*

JOHANNES **Anberg** / Smol. Svecus.

83. ADR: Johannes Petrejus – Aut: Laurentius Lohm (cf. 72) SKB (def), UUB, Lund UB, [Tartu UB]
 PROPEMPTICON

*JANE, nostrum⁶⁴ Palladium relinquis?
 Ad solum⁶⁵ tendis patriae cupitae?
 Meque post⁶⁶ tergum properas relicto,
 Dulcis Amice?*
 5 *Non voluntati licitae⁶⁷ resistam?
 Arbitrum verum precibus movebo; ut
 Det viam tutam, placidumque ventum! hinc
 Prosper aveto.*

Sic Sympatriotae suae medullitus
 amando vovebat
 Laurentius **Lohm** /
 Smol. Svecus.

84. ADR: Haquinus Magni Platinus – Aut: Johannes Erici Stregnensis (Disputatio physica de coelo;
 quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici
 Stregnensis, /.../ publice ventilandam exhibet Haquinus Magni Platinus, /.../ author et respondens /.../
 ad diem 30. April. /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.) SKB, UUB, Lund UB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

In Honorem
Praestantissimi atque Humanissimi
 Dn. HAQVINI MAGNI PLATINI,
 thesium harum Authoris doctissimi, ita scripsit:

*Terrenus non totus Homo, pars altera Coelum,
 Respicit, inde Solo MAGNUS et esto Polo.*

⁶⁴ Textus corruptus S

⁶⁵ Textus corruptus S

⁶⁶ Textus corruptus S

⁶⁷ Textus corruptus S

M. JOHANNES ERICI STREGN.
Astronom. et Phys. P.P.

85. Adr: Haquinus Magni Platinus – Aut: Andreas Megalinus (cf. 84)

SKB, UUB, Lund UB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Coelum subinde ut cingitur horridis
A nubibus, sic ingenium ardua
Caligine, ignorantiae atrae,
Plurimum ut evenit implicari:
5 De Coelo, *Haquine*, at disseris acriter
Dum; longe abarces ingenio a tuo
Caliginem ignorantiae. Arte
Macte, bonis avibus veharis.

Apposuit animus et calamus
ANDREAE MEGALINI,
Smol. Sveci.

86. Adr: Haquinus Magni Platinus – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 84)

SKB, UUB, Lund UB, [Tartu UB]
GRATULATIO

HAQVINUS MAGNI PLATINVS:
Per Anag.
IN HIS, QVAS JVNGVNT, PALMA.

IN curis HIS, QVAS JVNGVNT Musae, ardua PALMA
Svrgit; et assurgat candida PALMA Poli.

Nicolaus Psilander.

87. Adr: Nicolaus Psilander – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio practica de placido congressu et in specie de urbanitate et humanitate; quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 11. Junij, anno 1642. /.../ publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Nicolao Psilandro, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

UUB (def), [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctissimo et Humanissimo Dn.
RESPONDENTI.
NICOLAVS PSILANDER:
Per Anag.
COR PSALLE DIVINANS.

COR bene DIVINANS, aeterno PSALLE Jehovae:
PSALLE probis docti Moribus ingenij.

In felix omen app.
Laurentius Ludenius, PH. et
J.V.D. ac Professor.

88. Adr: Nicolaus Psilander – Aut: Petrus Trottonius (cf. 87)

UUB (def), [Tartu UB]
GRATULATIO

Pallados Ingenio Magnae pulcherrima proles,
Eusebiae cultor, tu delictumque Sophorum,
PSILANDER, tibi conveniens Sors grata dicavit
Nomen, NICLAVS, dum audis, Victoria plebis
5 *Optima, ΨΙΛΟΣ ἌΝΗΡ, lingua corde et vir apertus.*

<...>ses monstrant, quas dexteritate tueris.
 Consveto pergas Studio defendere Honestum.
 <...que> jocis ludisque VRBANVS, Vir quoque apertus;
 <...>manus vincas populum; Sis usque Beatus.

Petrus Trottonius, Smoland. Sv.

89. Adr: Nicolaus Psilander – Aut: Haquinus Magni Platinus (cf. 87)

UUB (def), [Tartu UB]
 GRATULATIO

NICOLAVS PETRI PSILANDER,
 Ἀναγραμματιζόμενος:
 I! NVNC RE PSALLIS DEO PATRI.

Nomen habes pulchrum! Graeco de nomine, ΨΙΛΟΣ
 Est et ἼΑΝΗΡ; Docti Nominis ordo fluit.
 Haecce virum ostendunt Syncerum et corde Fidelem,
 Cum quo tu in tenebris dinumerato nuces.
 5 Non vis esse tuum nudum vel Nomen inane:
 Testando ast factis Nomen et Omen habes.
 Comitatus officium, simul ac quo Urbanus haberi
 Quis possit, Thesibus quando docere paras.
 I! NUNC RE PSALLIS PATRI DEO, et Omine laeto,
 10 Una Filiolo, Πνέυματι et inde Sacro.
 Hinc tibi Musarum Chorus inclutus accinit ultro:
 Optat mille Soli, et gaudia mille Poli.

Haquinus Magni Platinus,
 Smal. Svecus.

90. Adr: Nicolaus Psilander – Aut: Johannes Anberg (cf. 87)

UUB (def), [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Amabilissimarum
 Charitum Chorus venustus
 Hic destinat Triumphum.
 Generi hinc suo invidendus
 5 Facessat obstinatus
 Timon: Tumultum agrestis
 Davus ciens, procul sit.
 Aglaja nuda gestit,
 Ignara, Amica vincla
 10 Disrumpere; Ast leporis
 Sale, optimas loquelas
 Ornare concupiscit.
 Sed Gratiae quid usque
 Ovant? Tuum requirunt
 15 Consortium, Venuste
 PSILANDER? Atque amico
 Te optant Choro interesse?
 An sentient Amores?
 Nae sentiunt et ardent.
 20 Harum Puell<ularum>
 Facetus Accius ceu
 Cum auram aucuparis, arcens*

25 *Davum huncce turbulentum,
Redamaberis; Perenni et
Nympharum Amore fatus,
Pylj valebis annos.*

Johannes **Anberg**
Smalandia Svecus.

91. Adr: Carolus Jonae Ruberus – Aut: Laurentius Ludenius (In octo libros Physic. Arist. περι τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως sive de naturali auscultatione disputatio quinta, continens nobiliores notas et quaestiones cap. 5. lib. 1. a text. 42. usque ad text. 50. quam in Regia Academia Dorpatensi /.../ proponit /.../ Johannes Erici Stregnensis, /.../ respondente Carolo Jonae Rubero, /.../ die 5. Novembris 1642. /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Doctis. et Ornatiss. Dn. Respondenti.
CAROLVS RVBERVS:
Per Anag.
ROBVR, VSV CLARES.*

*Carole, Musarum ROBVR, sic divite CLARES
VSV: VSVs doctum fecerit Artificem.*

In felix omen ap.
LAURENTIUS LUDENIUS,
J.U.D. et Profess.

92. Adr: Carolus Jonae Ruberus – Aut: Faderus Arvidi Uraelius (cf. 91)

H, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Qui Sophiae sacris, sudore operatur honeste;
Ipse operam cum spe divite rite locat.
CAROLE docte, theses doctas defendere pergis:
Tempus erit, quando commoda larga feret.
5 *Apprecor ex ima sinceri pectoris arca,
Vt vigeas, vireas, et bene proficias.**

Moris et Amoris Ergo app.
FADERUS ARVIDI URAELIUS.
Smol. Svec.

93. Adr: Nicolaus Rundelius – Aut: Nicolaus J. Ramzius (In octo libros Physic. Arist. περι τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως sive de naturali auscultatione disputatio secunda, continens nobiliores notas et quaestiones a text. 6. usque ad text. 22. lib. 1. cap. 2. quam in Regia Academia Dorpatensi /.../ proponit et publicae disputationi subjecit /.../ Johannes Erici Stregnensis, /.../ respondente /.../ Nicolao Erici Rundelii /.../ die <> M<aij> /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

SKB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Praestantissimo, Humanissimo et Doctissimo
Dn. Respondenti*

Saepius Amphion, strepitu testudinis alto
Exhilet, quaevis dum bene chorda sonat:
Multorum pariter concinna voce Tigellus
Solatur pulcre, tristia corda virum:
5 At mage RUNDELI, quod non venerabile Templum
Deneget, exhilarat concio docta tua.
Insuper exacte Physicarum semina rerum
Qualia, sic quae sint, nomenclare potes.

10 O igitur felix RUNDELI es: Numen amicum
Sentis: nec cessent tempora fausta tua.

Amico suo honorando ita grat.
M. NICOLAUS J. RAMZIUS.

94. Adr: Nicolaus Rundelius – aut: Jacobus Lotichius (cf. 93)

SKB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*A dexteris stat Nympha coelitus nata,
Et a sinistris Nympha stat Sophis grata,
Nymphae voluptas veriusque RVNDELI,
Vtrinque te propter subinde certantes.*
5 *Haec te cupit, tuetur, et colit Nympha,
Et illa te tuetur, et colit Nympha.
Sed utriusque duplicas amorem; Dum
Cupis, tueris, et colis modo utramque.
Et inde Te cupiscit utraque, Haec, Illa,*
10 *Hinc inde Te propter subinde certantes.
Dic Vtra vincet? Haec, an Illa? Rem trado:
Nec Haecce te amittet, Nec Illa te perdet.*

Jacobus Lotichius.

95. Adr: Nicolaus P. Russaeus – Aut: Nicolaus Psilander (Disputatio theologica in caput quintum a v. 31 usque ad finem D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regiae Academiae Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio /.../ respondente Nicolao P. Russaeo, /.../ d. <> Jul. /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

Västerås StB, BRAN, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*NICOLAUS PETRI RVSAEVS
Per Anag.
SPE VINCITVR LAEVA SORS.*

Athleta Christiane,
Certamen esse inane
Quereris tuum? Tremisque,
Lachrymas cies, gemisque!
5 Numne haec decent adultum
Servum, virumque cultum
Armis? Vicissitudo
Sane Beatitudo
Non est; Tamen monebit
10 Nos quae haec sit, et docebit,
Sic, Christiane miles
RUSAE, habeto viles,
Qui te manent dolores
Et plurimi labores.
15 Est blandus hicce luctus;
Melioris ecce fructus
SPE, LAEVA VINCITUR SORS,
Et soeva vincitur mors.
Via hinc et has cupita
20 Dabitur beata vita.

G. f.

NICOLAUS PSILANDER.

96. Adr: Petrus Laurentii Schonbergius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio politica de praxi negotiorum, quae domi tractantur, quoad imperia: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 20. August. anno 1642. publice /.../ discursus exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Petro Laurentii Schonbergio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.) SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctiss. et Humaniss. Dn. Respondenti.

PETRUS SCHONBERGIUS;

Per Anag.

CHRISTUS, PERGE, BONUS.

*Dirigitur, bene disce, pium quo fine beatum:**CHRISTVS, PERGE, BONVS coepta iuvabit ope.*

In felix omen ap.
Laurentius Ludenius, PH. et
I.V.D. ac Professor.

97. Adr: Petrus Laurentii Schonbergius – Aut: Andreas Bergius (cf. 96)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*PETRVS SCHONBERGIVS;**Per anagram.**PROBVS ES, HINC SVRGET.*

PETRE novenarum pulchrum decus usque Sororum,

Gratis qui in studijs fertile pectus alis:

ES PROBUS, atque probe Celsa de sede Cathedrae,

Ingenua nosti solvere mente plicas.

5 Perge, velut pergis: non scindes littus aratro:

SURGET et HINC bona sors, SURGET et HINC mera laus.

Ad contestandum infucatum amorem
apposuit

Andreas Bergius, Wesman.

98. Adr: Petrus Laurentii Schonbergius – Aut: Bartholomaeus G. Cardiaster (cf. 96) SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Celsum bicornem culmen,

Quod incolunt Sorores

Apricum amant amoenum;

Phoebi in serenitate

5 Illis placet cubare

Quid ergo, amori earum

Jurate PETRE, curas

Domesticos labores?

Num deseris Puellas?

10 Non: Ast tuus sub umbra

Domestica labor sit

Gratus Deabus istis.

Hinc laetor, atque grator

Tibi, tuisque pulcris

15 Conatibus: Beatum

Studia exitum sequantur.

Fratri et Contubernali suo dilecto
ita gratulari voluit
Bartholomaeus G. Cardiaster
Raumannus.

99. Adr: Michael Schultetus – Aut: Laurentius Ludenius (Discursus de praxi politica in exercitiis
militaribus: qui, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ die 16. Julij, anno 1642.
publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente
Michaele Sculteto, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.) UUB, Jena UB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctiss. et Humaniss. Dn. Respondenti.

MICHAEL SCULTETUS:

Per Anag.

HIC ALTUM SELECTUS.

Ut Martem Arte feras, ALTUM HIC SELECTUS: Jësus
Adsit tuis conatibus.

In felix omen appon.
Laurentius Ludenius, PH. et
J.V.D. ac Professor.

100. Adr: Michael Schultetus – Aut: Jacobus Lotichius (cf. 99) UUB, Jena UB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Nondum Parrhasio sub axe Mavors
Gessit bella satis, sed usque bella,
SCULTETI nova suscipit Minerva.
Atrox omne nefas patrasse miles
5 Gaudet; Fas quoque soevus omne rumpit.
Mentis percitus ebriae furore
Nil quaerit nisi proximi immerentis
Et sacrum inde Nepotibus cruorem;
Heu res dira et obominanda certe!
10 Verum bella gerit Minerva belle
SCULTETI, inter et arma quaeque rauca
Delectat melius; brabea et atro
Reddit jam absque cruore lautiora.
Ergo et inde Tibi, probate, Martis
15 Dantur Palladij brabea, Miles;
Et Lauri et Veneri dicata Myrthus.

G. s.
Jacobus Lotichius.

101. Adr: Michael Schultetus – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 99) UUB, Jena UB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

MICHAEL SCVLTVS, GORLICIO-LVSATVS:

Per Anag.

ACHILLIS SCVTO LVCTARE; STIMVLVS EGO.

*Themidi Sacrate, Fortis
Bellonae Amorque; Sortis
Dubias vices quid audes
Tentare? Quidve gaudes
5 Infirmiore parma*

Vibrare Martis arma?
 Persta valens pupillis,
 LUCTARE SCUTO ACHILLIS;
 STIMULUS tibi LUSATO
 10 EGO ero: Viret Beato
 Dum pampino atque baccis
 Laurus gravata, laxis
 Te cinget usque vittis
 Pallas potens sagittis.

Quod anim. vov.
 Nicolaus Psilander,
 Smolandia-Svecus.

102. Adr: Michael Schultetus – Aut: Johannes Newhausen (cf. 99) UUB, Jena UB, LAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Siccine, Amice, alacris nunc Miles es et Studiosus?
 Codice bella geris, jungis et arma libris.
 Macte istis, SCVLTE, animis: Tibi gloria duplex
 Inde tuo duplici nascitur e titulo.*

Amica manu sc.
 JOHANNES **Newhausen** /
 Hamburgus.

103. Adr: Simon Skragge et Sara Pedersdotter – Aut: Andreas Virginius (Novis nuptiarum honoribus, /.../ Simonis Skragge, /.../ per Finnoniam quaestoris, sponsi, conjugium contrahentis cum /.../ Sara PederssDotter, /.../ Petri Nilsson, /.../ capitanei, filia, sponsa: in Ropkoja /.../ pompa nuptiali, die 20. Febr. anno 1642. celebratarum, quaevis fausta precantur Musae Embecciaes. – Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.) SKB, UUB, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

Non bene transfigitur casti sine compare lecti
 Vita; nec utilitas hinc redit ulla viro:
 Gaudia nulla capit, quamvis sit honoribus auctus;
 Quamvis et magna vi cumuletur opum.
 5 Ergo tibi Sociam vitae jungis, AMICE,
 Quae fuit a votis non aliena tuis.
 Jungite nunc ergo ambo preces, ne mutuus unquam
 Futilibus rixis imminuatur amor:
 Utilibus crescat studijs, natosque relinquat,
 10 Rura velut multo culta labore rosas.
 Tu, pie Christe, pijs largitor prospera quaevis,
 Prospera, quae voveo, tu, pie Christe, dato.

Sic gratulabundus cecinit
 ANDREAS VIRGINIUS, SS. Theol. D.
 et P. nec non p.t. Acad. Rector.

104. Adr: Simon Skragge et Sara Pedersdotter – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 103)
 SKB, UUB, [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

SIMON SKRAGGE:
Per Anag. K neg.
 GIGNES MORAS?

SARA **PederssDotter** :
Per Anag.
 ARDET SPES: TRADO RES.

Castae Delicium Veneris, Doctissime Sponse,
An socio GIGNES hinc in amore MORAS?
Tolle Moras: Hymenaeus ovat: Venus inquit; amice
ARDET SPES, TRADO RES in amore pares;
 5 *Annuat Omnipotens: SPES ARDeat omnis Amore:*
RES pulcra detur multiplicata fide.

In felix omen app.
 LAURENTIUS LUDENIUS, Ph.
 et J.U.D. ac Professor.

105. Adr: Simon Skragge et Sara Pedersdotter – Aut: Johannes E. Stregnensis (cf. 103)

SKB, UUB, [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Ipsa Deus, patuli moderator maximus orbis,
 Legitima instituit genitalis foedera lecti,
 Et patitur quovis sociale hoc foedus inire
 Tempore, cum pietas et amor depossit honestus.
 5 Sunt tamen haec anni pulcerrima tempora, quando
 Nunc et hymen curant animalia caetera, curant
 Diversae pecorum facies, lepidaeque volucres.
 Sanctius his animal mentisque capacius altae.
 Quod fecit Deus ut dominari in caetera posset,
 10 Noluit hanc laeta sine compare ducere vitam,
 Sed florente ipsa jucundae aetate juventae,
 Exercere pie voluit pactos hymenaeos.

AD SPONSUM.

SIMON, avis claris et claro clarus es ortu
 SKRAGGE, piae casto qui flagras semper amore
 15 SARAE, quaeque tui casto flagravit amore,
 Fidus amor paribus constringat pectora nodis.
 Tempora tu rerum bene servas praeside Christo,
 Quando tibi jungis praestantem sanguine Sponsam,
 Quae te dilectum consvescet amare maritum,
 20 Quaeque tui semper casto flagrabit amore.
 Coelestis floret bene cognitione Tonantis,
 Agnoscit Christum, veneratur Flamen, et usque
 Invocat, aque Deo solamina vivida sperat.
 Hinc pietas ornat Sponsam, probitasque verenda
 25 Omnibus acceptam facit, et gravitate decoram.
 Ipse decor vultus, nitor et pulcerrimus oris
 Compositas animi dotes ostendit amice.
 Praestans haec virgo natura, Mitis et annis,
 Ipsa Deo dilecta, suo dilecta parenti,
 Et dilecta bonis, sed dilectissima semper,
 30 SKRAGGE, futura tibi: tibi felix ducitur uxor,
 Inque tuos venit amplexus virtute decora,
 Quae relevet tristem dulci sermone dolorem,
 Quae longos tecum feliciter exigat annos,

Sepositisque agitet pulcerrima gaudia curis.

AD SPONSAM.

- 35 Et tu virginei decus o praenobile coetus,
SARAque delictum generis, rata gloria gentis,
Cuique Venus nitido texebat pollice sertum:
Quae Deus omnipotens; rerum cui summa potestas,
Tempora disposuit, Christo duce et auspice, servas.
40 Eligis e medio sponsum placidumque probumque,
Quique tuos inter, venerando pronubo Iësu,
Amplexus ibit, propium tibi seque dicabit.
Multa illum sancti Reverentia Numinis ornat,
Et pietas laudat, probitas sanctissima tollit,
45 Ingenium sanctis Pallas dedit inclyta Musis.
Clara dies salve tam laetae conscia pompae,
Tympana pulsa sonent, svaves det tibia cantus,
Laeta celebrentur positis convivium mensis,
Et bona verba omnes dicant et fausta precentur.
50 Vivant concordi junctissima pectora lecto,
Vivant felices longaevi in Nestoris annos,
Et cernant natos, et qui nascentur ab illis
Aeterna semper bene dexteritate beatos.

Honoris ergo scribebat
M. JOHANNES E. STREGENSIS,
Astronom. et Phys. P.P.

106. Adr: Simon Skragge et Sara Pedersdotter – Aut: Michael Bostadius (cf. 103)

SKB, UUB, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

- Priscorum haec quondam sententia dicta Sophorum;
Conjuge nil casto dulcius esse potest.
Omne ter fausto, quicquid cupit, omne reportat
Cui Sponsa in thalamum, pulchra puella, datur.*
5 *SIMON, nunc memora, quis te felicitior unquam,
Cum tibi SARA datur, pulchra, pudica, proba;
Vivite felices totasque ex ordine noctes:
Flagitat hoc pietas et socialis Amor.
Vivite concordem, parvos producite natos;
10 Vosque DEVS, posco, prosperitate beet.*

Honoris et amicitiae gratia scripsit
M. MICHAEL BOSTADIUS,
ad D. Mar. Past.

107. Adr: Simon Skragge et Sara Pedersdotter – Aut: Johannes Georgii Gezelius (cf. 103)

SKB, UUB, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

- Κὰν γλυκερὸν χαλεπῶς πονέουσιν ἀεὶ ἀνάπαυμα
Ἔστι, λίαν τοῖς διψῶσι γλυκὸν πηγίδιον τε,
Τοῖς τε πλάνοις ὁδὸς ἐστὶ γλυκεῖα γλυκεῖα πυρὴ τε
Τοῖς ψυχροῖς, τοῖς λυπηροῖς γλυκῆς ἠδυλόγος μὲν
5 Τὸν ἢ γάμον γαμέειν γλυκερώτερον ἐστὶν, ἢ εἶσι

Πηγίδιον θ'όδος, ἡδυλόγος τ'ἀνάπαυμα, πυρή τε.

Aff Syrach then Högwijse Man/
 Säll kalles then medh rätta
 Som aff Gudz Hand bekomma kan/
 10 En Quinna from till ächta.
 Huarss fromheet och höffliga Sin/
 Lyker icke allena/
 I Dejeligheet och Kläder fijn/
 Som Dygden offta meena;
 15 Uthan när som i hiertat först/
 Gudz fruchtan sig wäll rootar/
 Tå bliffuer hon en hiert antz Tröst
 Sinom Manne/ och honom bootar.
 Uthi all Sorg och hiertantz tuång/
 20 När nöd och moottgång tränger/
 Tå altid honom till stoor Män
 Ähr hon/ och hanß lijff länger.
 Therföre hon så stöna nampn
 I Skrifftene bekommer/
 25 Att märckeligare ey säjas kan/
 När Gud henne berömmar:
 Hon lijknas widh then klara Sool/
 I Himmelens Firmament/
 Kallas ock en gäffua stoor/
 30 Och utaff gudhi een Stänk;
 Edher som uppå denne Dag/
 I Echtenskap intråda/
 Gud effter sin willic och behag/
 Och effter Ehr begära/
 35 Giffuer och wisselig stänker
 En sådan Edell gäffua.
 Huar före I wäll betänker
 Honom therföre loffua/
 Medh tacksäjelse/ sa ock så
 40 Honom fliteligen bidia/
 Att han sin H. Andeß näh/
 Wille edher altidh giffua.
 Att uthi thetta helga ständ/
 Christeligen till samman/
 45 Leffua uthi Ähren mång
 Medh frögd och mycken gamman.
 Om i nu thetta flitelig
 Medh alffuarsamme Böner/
 Hooß gudh anhälla wißerlig
 50 Han edher wäll becröner/
 Först medh en stoor wälsignelse/
 I thenna werlden wränga/
 (Uppå huilket I wäll haffue/

Exempell ganska många)

55 **Och medh en salig hädanfärdh/
När sä hanß godha willia/
Ähr/ att I skole från thenne Werld
Mätte aff älder skillias.
Och lända till en Ewig Frögd/
60 Ther wij så margelunda/
Skole HELJGH i Himmelß högd
Medh ångla Choren siunga.**

Dulcia sepositis agitato gaudia curis,
Blandule SPONSE: Tuis meritis e pectore gaude,
65 Blandula SPONSA, Deo quia Tu non infima cura es.
Condignas depromite jam de pectore grates;
Nam Sponsam tibi dat, qua non praeclarior ulla,
Nam Sponsum tibi dat, quo non praestantior alter.
Vos probitatis honos, niveo velamine cingit,
70 Inclyta vos decorat virtus, quae sola perennis,
Verae religionis amor, venerabilis orbi,
Vos ornat rite: ambo pio de sanguine creti;
Ambo pares virtute, pares pietate, decore,
Flore pares, probitate pares, ut dicere possim
75 QUO NON? o utinam vos fata pares quoque servent.
Alloquiturque suam Sponsam his dictis Neonymphus:
Tu superas reliquas forma praestante puellas,
Elegi mihi Te multis e millibus unam:
Surge, veni, dilecta veni, formosa columba,
80 Surge, veni, mea Sponsa sororque veni, mea vita
Surge, veni, requies, solamen, Tuque levamen
Sis dulcis Consors thalami, en dextramque fidemque
Conjugis: atque tuam cedo Tu dextram, nova Nupta.
Haec moderate Sponsa suo fert ore vicissim:
85 Sim si Sponsa, sororque tibi; sis tu mihi Sponsus.
Sim requies, vita; et tu spes fidissima solus
Inter mortales, solo ex te pendeo tota.
Scilicet in terra non est jucundior ullus;
Mi dilecte veni, fieri me spondeo velle
90 Jucundi thalami consortem, en porrigo dextram.
Macte pijs animis Sponse, et svavissima Sponsa,
Coepistis bene: vestra DEUS rata coepta secundet,
Ad coelum orantes, dextras cum voce supinas
Tendite, Divino de Numine poscite quaeque
95 Vos felicia, Divini sermonis amorem
Cordibus in vestris ut syncerum imbuat usque.
Concordem ut longo ducatis tempore vitam,
Ut Tu, Sponsa, tuo sis obsequiosa Marito,
Ut Tu, Sponse, tuae faveas multosque per annos,
100 Et speres summum memorem fandi atque nefandi,
Vobis (si justos respectat Numen in altis

- Si quid iustitiae est, et mens sibi conscia recti)
 Praemia digna feret; nullis labefacta querelis
 Si in canos concordia vos servaverit annos.
 105 Hisce Valet; et qui diram per vulnera mortem
 Oppetijt, vos ut servet concorditer opto.

Ex frat. affectu vovebat
 M. JOHANN. GEORG. GEZELIUS.

108. Adr: Simon Skragge et Sara Pedersdotter – Aut: Benedictus Haraldi (cf. 103)

SKB, UUB, [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Votum

- Connubio casto junctos ecce undique tentat
 Insidijs Coluber, mille ingeniosus ad artes.
 Angelicis quare excubijs, DEVS Optime, adesto,
 Quos hodie conjunxti⁶⁸ ne vafer obruat hostis,
 5 Concordem ducant da longo tempore vitam,
 Semper honos, nomenque tibi laudesque ferantur.*

Hisce paucis quaevis felicia affini, et Co-
 gnatae suae, precatur,
 Benedictus Haraldi, Sveo-Li-
 vonus.

109. Adr: Ingemar Petri Smetander – Aut: Ericus Haquini Bobergius (Disputatio physica de anima in genere, quam /.../ in /.../ Academia Dorpatensi /.../ sub praesidio /.../ Johannis Stregnensis, /.../ tuebitur Ingemar Petri Smetander auctor et respondens ad diem 29. Jan. /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.)

SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Humanissimo et Literatissimo
 DN. RESPONDENTI.
 INGEMARUS SMETANDER,
 per Anagr.
 SVRGET ME MANDANS IRE.*

- Cum Deus omnipotens mundi Systema creasset,
 Junxissetque loco cuncta creata suo,
 Mox hominem fecit, sapienti Numine MANDANS,
 Volveret ut mundi sedulitate librum:
 5 Quod bene perpendis, SMETANDER, Svada Sophiae.
 Pompaque amicitiae tempus in omne meae;
 Dum de spiranti Rectrice o corporis hujus
 Contexis summa dexteritate theses,
 Et solvis laqueos calidique sophismatis uncus
 10 Ingenij mira judicijque, fide.
 Insta, Animae vires jugi perpendere mente,
 Illam defendens mentis et artis ope:
 Sic tibi SURGET honor nullo debilis aevo,
 Seque tibi Charitum junget amoena Venus.
 15 Sic tua per facta haec, ME Laudibus IRE juvabit,

⁶⁸ *conjunxti* edd metri causa

Dum vitam rapiant ultima fata meam.

Gratulaturus scripsit
M. Ericus Haquini Bobergius,
W-Gothus.

110. Adr: Ingemarum Petri Smetander – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 109) SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Eusebiae et Sophiae decus, INGEMARE SMETANDER,
Aonii et nostri fulgida gemma chori,
Orbis ad exemplum componimur, inde renascens
In nobis superi fulget imago Dei:*
5 *Vis vegetans nobis, vegeti vis vivida sensus,
Vis rationalis mentis et ingenij.
Difficile hinc naturam Animae cognoscere ad ungvem,
Deque illa proprio scribere Marte theses:
Viribus ingenii, et solerti indagine utrumque,*
10 *Tu praestare studes sedulitate pia.
Tu Patris Aetherei sudas celebrare stupendum,
Rimari et magni nobile Regis opus.
Perge pie Physica testudine ludere gnavus,
Cyrrhoaeo et succo tingere perge caput.*
15 *Parnassi poteris sic tandem scandere colles,
Colligere et Pindi gramina nata jugo.
Dirigat Omnipotens conamina pulchra, labores
Prosperet et foveat, coeptaque grata beet.*

Syncerae Amicitiae, et fraterni amoris
declarandi causa adjecit
PETRVS CAROLI VNDENIVS,
W-Gothus.

111. Adr: Ingemarum Petri Smetander – Aut: Laurentius Ludenius (Historia SveoGothica /.../ regum internorum, ut et Gothorum, regumque externorum: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 18. Maji, anno 1642. /.../ disputationis exercitio publice /.../ committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Ingemaro Petri Smetandro, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.) UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Praestantiss. et Doctiss. Dn. Respondenti.
INGEMARVS PETRI SMETANDER:
Per Anag.
INGENS PER ARTEM MVSA REDIT.*

INGENS, Dante Deo, divinam, *Ingmare*, PER ARTEM
MUSA REDIT, Patrio deliciosa solo.

In felix omen app.
Laurentius Ludenius, PH. et
J.V.D. ac Professor.

112. Adr: Jonas Pauli Spinckius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio politica de praxi negotiorum, quae domi tractantur, quoad consilia; nec non quae foris expediuntur, quoad legationes: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 14. Maji, anno 1642. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Jona Pauli Spinckio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.) UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn. Respondenti.

JONAS PAULI SPINCIUS:
Per Anagr.
 IPSA PIA CONSULIS UNI.

Sic bene Consilium, bene sic fortuna paratur,
 IPSA ubi dilectae Patriae PIA CONSULIS UNI.

In felix omen appon.
 Laurentius Ludenius, PH. et
 J.V.D. ac Professor.

113. Adr: Jonas Pauli Spinck – Aut: Ericus P. Lerbeckius (cf. 112) UUB, H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Mentis ut intendas vires inhiare Camoenis,
 Publicae summa rei jam resonare lubet:
 Tutantes Domini rem, ceu juga coelica fulcit
 Priscus Atlas, profers robore consilij;
 5 Tum commissa ratis tractare negocia punctis
 Legatis monstras: seria rite seris!
 Macte animis tantis, des cursus alite fausto,
 Mi SPINCKI, nunc nunc verna juvena viret:
 Patria promoveat, prece devotaque propinqui:
 10 Praestet perpetuo fata beata Deus.*

Honoris et amoris ergo s.
 M. Ericus P. Lerbeckius.

114. Adr: Jonas Pauli Spinck – Aut: Bartholomaeus Gregorij Cardiaster (cf. 112) UUB, H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Credita Mercurio proles, Musisque sacrata,
 A teneris pergat ferre laboris onus:
 Ne corrumpatur, sicut ferrugine ferrum,
 A teneris discat ferre laboris onus,
 5 Ne instar aquae immotae patiatur damna juvenus,
 A teneris discat ferre laboris onus.
 Altius haec nosti a primis juvenilibus annis
 Hasce theses docta quando tueris ope.
 Apprecor, ut portum tangat tua Musa cupitum,
 10 Attingas chari tecta beata patris.*

Quod animitus Amico suo sincere precatur
 Bartholomaeus Gregorij Cardiaster
 Raumannus.

115. Adr: Jonas Pauli Spinck – Aut: Johannes Petri Kuuth (cf. 112) UUB, H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

JONAS PAULI SPINCH:
Per Anagr.
 POPINA HINC LAUS IS.

*I ngenuus, qui Phocaicam non attigit amnem
 S tricte, vix Famae praemia pulchra feret;
 O mnis at auratae qui congerit aera monetae
 P alladiae; illius nomen honore viret.
 5 N omen praeclarum sectaris mente sagaci,*

I *ONA*, *Aganippaei Musica stella chori*;
A rmipotente theses doctas dum Marte tueris,
N ormam Consilij quae gravitate docent;
S umptus non pereunt per quos diffundis honorem
 10 *CH RISTO*, *sed Famae nomen euntis habes*:
P roptereaque pari posthac pietate POPINA
Parnassi pulchra, pectora pasce tua:
S ic manet in terris tibi LAVS, HINC gloria Coelis,
IS tuus in patria gaudet ovatque favor.

Amico animo et calamo scripsit
 Johannes Petri Kuuth, Sud-Svec.

116. Adr: Jonas Pauli Spinckius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de templis: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 28. Maji, anno 1642. publice /.../ enarrabat Jonas Pauli Spinckius, /.../ - Dorpati, 1642: Typ. acad.) SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.

JONAS PAULI SPINCIUS:

Per Anag.

O! PLANCUS IN AUSPICIIS.

Rite doces, donis opulentum condere Templum;
 O tam Divinis PLANUS IN AUSPICIIS!

In felix omen app.
 LAVRENTIVS LVDENIVS, PH. et
 J.V.D. ac Professor.

117. Adr: Jonas Pauli Spinckius – Aut: Andreas Bergius (cf. 116)

SKB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

IONAS PAVLI SPINCHIVS:

Per Anag.

P II ONVS, HINC IPSA LAVS.

Prudens atque PIus Musarum Cultor habetur,
Qui duri assuetus ferre laboris ONVS.
EN opus hocce PII est, quod SPINCHIVS urget in arte,
IPSA HINC LAVS sequitur: fert patienter ONVS.

In infucatae Amicitiae <τεκ>μήριον apposuit
 Andreas Bergius, W-Man-
 n<ia> Svecus.

118. Adr: Jonas Pauli Spinckius – Aut: Johannes Petri Kuuth (cf. 116)

SKB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

Cum riget aestivis hirsutus campus ari<st>is,
 Et Sol Herculei terga Leonis adit:
 Melliferae ut vario sugunt e flore liquorem
 Hyblaeum, et stipant nobile nectar Apes;
 5 Spincki adamande mihi, Musarum ita colligis herbas:
 Optatis dictis Templa sacrata colis:
 Perge, velut pergis: fundis dona optima mentis:
 Et cum laude tibi munera grata paras.

Ita gratulabundus sc.
 Johannes Petri Kuuth.

Sud. Svecus.

119. Adr: Petrus Trottonius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio practica de amore sui moderato, et de fortitudine: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 7. Maij, anno 1642. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Petro Trottonio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.) Västerås StB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Praestantiss. et Ornatissimo
Dn. RESPONENTI.
 PETRUS TROTTONIUS
Per Anag.
 UT TORTUS, SPE NITOR!

UT TORTUS gravitate mali, SPE NITOR amica!
Fortior in medijs PALMA resurgo malis.

In felix omen as.
 LAURENTIUS LUDENIUS,
 Ph. et J.U.D. ac Professor.

120. Adr: Petrus Trottonius – Aut: Andreas Megalinus (cf. 119)

Västerås StB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Succrescit veluti, premitur dum pondere palma; et
 Sydera celsa petit;
 Mascula sic virtus vexata labore resurgit,
 Eminus atque micat.
 5 TROTTONI, quam virtutem defendere tentas,
 Mascula Progenies.
 Ardua sic pergas sectari, et scandere summa,
 Pampinum Apollo parat.

Felicis ominis Ergo app.
 ANDREAS MEGALINUS Agudarydensis.

121. Adr: Petrus Trottinus – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 119)

Västerås StB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

PETRVS TROTTONIVS SMOLANDVS:
Per Anag.
NON TMOLVS, AST VIRTVS PRODEST.

Non Beat TMOLUS, Tyriumve Coccum
 Semper; AST PRODEST veneranda VIRTUS
 Quae voluptate animo reponit
 Usque perennes.
 5 Macte, VIRTUTIS rutilans odore,
 Alter ut TMOLUS, Genite a Minerva,
 PETRE TROTTONI, Genitricis audax
 Aegide Pugna.

G. f.
 Nicolaus Psilander.

122. Adr: Petrus Trottonius – Aut: Matthias Lauterbach (cf. 119)

Västerås StB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

PETRUS TROTTONIUS SVECUS.

Per Anag.

TOTUS NITOR; SPES CVRET VSV.

*PETRE, Novenarum cultor Studiose Sororum,
Tu mihi non dubia cognite, Amice, fide;
TOTVS, ais, NITOR est; SPES VSV CVRET amicum
Conatum, VT Patria frugifer esse queam.*

5 *Quid ni, PETRE, igitur, sic Docto ab Apolline doctus:
Salvas ingenio, fortiter hasce theses.
TOTVS namque NITOR: SPES coeptum CVRET in VSV.
Credula sic tua SPES, pulcrior usque NITOR.*

Contestandae infucatae Amicitiae gratia
apposuit

Matthias **Lauterbach**.

123. Adr: Petrus Caroli Undenius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio practica de veritate et taciturnitate: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 23. Aprilis, anno 1642. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Petro Caroli Undenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.) Västerås StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Praestantiss. et Literatissimo

Dn. RESPONENTI:

PETRUS CAROLI UNDENIUS

Per Anag.

I CALENS PRUDENTIOR USU.

I virtute CALENS, rerum PRUDENTIOR USU:

Et tuus aeternum continuatur honor.

Quod in felix omen ap.
Laurentius Ludenius, PH. et
J.U.D. ac Professor.

124. Adr: Petrus Caroli Undenius – Aut: Ericus Haquini Bobergius (cf. 123) Västerås StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Delicium Charitum, mi Praestantissime PETRE,
Es virtutis amans, virtutes atque tueris.
Perge, tibi ex voto, virtutis praemia dentur.
Sic precor et voveo synceri e pectoris arca.*

Amico calamo scripsit
M. Ericus Bobergius,
W.-Gothus.

125. Adr: Petrus Caroli Undenius – Aut: Nicolaus J. Ramzelius (cf. 123) Västerås StB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Personat argute tua vox, cum vera loqueris
Quae sint, VNDENI: vere quae falsa vocanda
Cum doceas docte quid dicet, quidque tacebit
Mortalis. Felix igitur tu vive superstes,
5 *Et mihi praedulcis convictor, serus abito.**

Felicem in lit. successum fido suo Amico
gratulans appendit
M. NICOLAUS J. RAMZIUS.

126. Adr: Petrus Caroli Udenius – Aut: Ingemar Petri Smetander (cf. 123) Västerås StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Veris vera placent animis: tamen undique semper
Rectum indagare et verum, non contigit omni.
Ast tibi virtutum quaerenti ascendere culmen,
Optato juvento, dum tramite, pergere anhelas,
5 Gratulor immensum, fundens pia vota precesque
Quod sic praeclaris pergas insistere coeptis,
Ut tandem utilem patriae reddat pia Musa.
Vade, vale felix, vitae longissima vive
Tempora, quumque tuos cineres acceperit alma
10 Tellus, tum aeternum maneat memorabile nomen.

Approperatum ab
Ingemaro Petri Smetandr<0>,
W. Gothia Sveco.

127. Adr: Petrus Caroli Udenius – Aut: Sigvardus Olai Wallander (cf. 123) Västerås StB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Tene Novenarum docte Vndenijque Sororum
Cura tenet, qua nil suavius esse solet?
Ingenuas etenim didicisti, sedulus artes,
Vitamque ornasti moribus ingenuis.
5 Perge bonis avibus tantis insistere coeptis,
Ductor Apollo ausis praemia digna dabit.*

Amoris moris et honoris ergo scribebat
SIGVARDUS OLAI WALLANDER, W Goth.

128. Adr: Petrus Caroli Udenius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de paupertate: quam, /.../ Mariaestadij 18. Maji anno 1641. /.../ memoriter recitabat, Petrus Caroli Udenius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Typ. acad.) SKB, H, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctiss. et Humaniss. Dn. Peroranti.
PETRVS CAROLI VNDENIVS:
Per Anag.
RELVCENS IN ARDVIS, PVTO.*

Sit faustum et felix! tu, Christo dante, RELUCENS
IN ARDUIS, PUTO pie.

In felix omen app.
Laurentius Ludenius, PH.
et J.U.D. ac Professor.

129. Adr: Petrus Caroli Udenius – Aut: Ingemar Smetander (cf. 128) SKB, H, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Gaza favet multis; verum haud utentibus illam
Dextre, infert sortis plurima damna gravis.
Et multos male divexat sors indiga rerum,
Quos melior Pietas tollit et Integritas.
5 Sit pia Paupertas, et nostro subdita Christo; et
Pauperies juncta cum Pietate juvat.*

Deproperatum ab

Jngemaro Smetandro,
W-Svec.

130. Adr: Petrus Caroli Undenius – Aut: Petrus L. Schonbergius (cf. 128) SKB, H, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

PETRUS CAROLI UNDENIUS,
Per Anag.
CUR SANE INOPS ELUDITUR?

CUR SANE INOPS ELUDITUR?
CUR Pauper omnis spernitur?
Vis scire? rite deteget,
Haec Charta praesens! scilicet
5 Ab improbis ELUDITUR,
A reprobis et spernitur,
Qui nesciunt et Pauperem
UNVM creasse et Divitem.
O IRE, sorte paucula
10 Contentus esto et parvula,
Sis fidus hoc in pondere
Coeli ut beeris munere.
Haec edoces et praedicas,
O PETRE, rite et nuncias.
15 Hinc Laus resurgit Maximo
Regi; Usus hinc et Proximo.
Magnum decus nancisceris
Almi Cliensque diceris.

Fratri veteri infucato
animo ad.
Petrus L. Schonbergius,
OstGothus.

131. Adr: Faderus Arvidi Uraelius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio philosophica de philosophia
in genere: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ sub praesidio /.../ Johannis
Erici Stregnensis, /.../ submittebat Faderus Arvidi Uraelius, /.../ author et respondens ad diem <> Maji
/.../ - Dorpati Livonorum, 1642: Lit. acad.) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn. Respondenti.
FADERVS VRAELIVS:
Per Anag.
VI LAESVS, FER DVRA.

VI LAESUS, FER DURA pie: Patientia vincit;
Ars dederit Genij candidioris opes.

In felix omen s.
Laurentius Ludenius, PH.
et J.V.D. ac Professor.

132. Adr: Faderus Arvidi Uraelius – Aut: Haquinus Magni Platinus (cf. 131)
SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

FADERVS ARVIDI VRAELIVS,

SMOLANDIA SVECVS,
Ἀναγράμματιζόμενος
 FILORVM VI VENIS AD DAEDALAS
 ARCES, VISVRVS.

*Labyrintheos recessus
 Qui Daedali cupiscit
 Tentare, Filum habebit
 Ariadnae, eritque constans.*
 5 *Minervae Alumne VRAELI,
 Tu Daedalus jam ut alter;
 Labyrintheos recessus
 Sophiae doces adire.*
SIC DAEDALAS AD ARCES
 10 *FILORVM et ipse VI olim
 VENIS; Sacrosque Honores
 VISVRVS es. Valeto.*

Non tam moris, quam amoris
 ergo app.
 HAQVINUS MAGNI PLATINUS.

133. Adr: Faderus Arvidi Uraelius – Aut: Carolus Ruberus (cf. 131) SKB, UUB, H, [Tartu UB]
 GRATULATIO

URAEI, decus o Sophiae, Popularis amande,
 Haud potero laudes enumerare tuas.
 Assidua pergis doctorum volvere dextra
 Scripta, tenes rerum sensa beata pie.
 5 Hoc probat effectus, dum tentas sedulus ipse
 Colloquium pulchrum: Fama superstes erit.
 Fama superstes erit; ceu pergis, pergito semper,
 Commoda grata feres, digna brabea feres.

In fraterni amoris et syncerae necessitudinis
 testificationem conterraneo et fratri
 suo faciebat
 Carolus Ruberus.

1643

1. Adr: Maria Balccia – Aut: Laurentius Ludenius (Pijs manibus /.../ Mariae, /.../ Jacobi Balccii, in /.../ Dorpatensium rep. senatoris /.../ filiolar, 29. Maji anno 1643. /.../ denatae; et 4. die mensis sequentis Junij, Dorpati in sepulchro, quod est in aede D. Johanni quondam sacra /.../ illatae; consecratum a condolentibus amicis. – Dorpati Livonorum, 1643: Lit. acad.) UUB (def), [Tartu UB]

EPICIDIUM

MARIA BALCIA.
Per Anag.
 AMABILI CARA.

Vt fontis liquidi cepi miranda lavacra,
 Accepique Infans undamque Auramque salubrem;
 En tum praeteritas maculas in flumine lavi,
 CARAque succrevi ceu plantula AMABILI Olympo.
 5 Ut primam fando potui formare loquelam

Et tenera incepti modulari carmina voce,
 Carmina Coelestem nostrum resonantia CHRISTVM,
 CARA ego succevi ceu Plantula AMABILI Olympo.
 In me jam Pater et Mater cum prole latentes
 10 Adderet igniculos Virtutum et semina Veri;
 CARA ego succevi ceu Filia utrique parenti.
 Vincit amor CHRISTI, primisque invitat ab annis
 Me sibi dilectam succedere AMABILI Olympo;
 Longaevo occludo nictantia lumina somno;
 15 Atque Anima o coeli nitidissima templa subintrat,
 Cum Christo in dulci flagrando vivit et aura.
 Salve, chare Pater, Salve, charissima Mater,
 CARA ego succevi ceu plantula AMABILI Olympo.

Quod cond. ap.
 LAVRENTIVS LV DENIVS, PH.
 et J.U.D. Prof. et p.t. R. M.

2. Adr: Maria Balccia – Aut: Johannes Erici Stregnensis (cf. 1)

UUB (def), [Tartu UB]
 EPICIDIUM

*Felices Pueri liquido de fonte renati,
 Si placido pergant succubuisse die.
 Lavere antiquas maculas in flumine puro,
 Ereptique malis coelica tecta tenent.*
 5 *Et tua, Vir praestans BALCCI, carissima Gnata
 Hac multum felix conditione manet.
 Deposuit primas maculas in flumine: Christo
 In vita et morte est consociata suo.*

M. JOHANNES ERICI STREGNENSIS,
 Astronom. et Phys. P. P.

3. Adr: Maria Balccia – Aut: Johannes Georgii Gezelius (cf. 1)

UUB (def), [Tartu UB]
 EPICIDIUM

Parvula nunc parva MARIA reconditur urna
 Filia, Matris amor, delictumque Patris,
 Quam binos in mundo annos vix vita manebat,
 Magna tamen Matri spes fuit atque Patri.
 5 Clotho sed infelix Patris facit irrita <vota>,
 Delicias Matris sustulit una dies.
 Sustulit una dies vitam fragilem, inde diebus
 Omnibus in coelo gaudet ovatque Deo.
 Gaudet ovatque Deo, cui jam nova cantica cantat,
 10 Dum pia progenies vivit in axe Poli.
 Hinc bene, chare Parens, patrium moderere dolorem
 Immodicum; Mater, flebile siste melos;
 Sic Domino placuit, qui nubila tempora Brumae
 Noxia cum teneris floribus esse videt.
 15 Vernantes transfert subito in coeleste rosetum,
 Ne noceant venti, ne fera laedat hyems.
 Sic flos hic roseus coeli nunc floret in horto,
 Vivit in aethereo flos pretiosus agro.
 Perpetuo Domino fragrantem spargit odorem,

20 Dum manet in coelo Plantula grata Deo.
In terrae gremio tumulantur membra tenella,
Quae surgent multis glorificata modis.

Condolentiae Ergo scr.t
M. JOHANNES GEORG GEZELIUS,
Graecae et Orient. Ling. Prof. P.

4. ADR: Maria Balccia – Aut: Andreas Sandhagen (cf. 1)

UUB (def), [Tartu UB]
EPICIDIUM

*Quid faciat tristes vultus, quid gaudia vertat,
Quid lacrymas cieat, quidque intima viscera tangat.
BALCCIVS, heu satis ac super est edoctus, ut olim
Vltima deflevit Natarum fata duarum,*
5 *Quas simul ac dederat, rapuit Manus illa POTENTIS.
Sed tamen hunc potuit tantum superar<e> dolorem,
Vnica dum vixit; lepidis pergrata puella
Moribus ac vultu: quae funera maesta Sororum
Ipsa etiam, o dolor, <insequitur, luctumque Parentum>*
10 *Aggravat. Ah durum fati genus! Impio cogat
Quid non pectora? Tu vero te collige, Amice;
Nam praemissa Tua est: non est amissa<; perennem>
Pro fragili vitam nacta est in sede beata.
Hanc ipsi quoniam non suspiramus, Amati*
15 *Quod praeiere, <minus> graviter tolerasse juvabit.*

Condolens Amico scr.
ANDREAS SANDHAGEN / Northu-
sanus, Hist. et Polit. P. P.

5. ADR: Maria Balccia – Aut: Sigismundus Pamphilianus (cf. 1)

UUB (def), [Tartu UB]
EPICIDIUM

Colloquium Funebre.

Filia *Mater, ne doleas plus nimio, rogo
Cessent lacrymulae: neu miserabiles
Decantes elegos, quod Dominus tibi
Me Gnatam abstulit in Polum.*
Mater 5 *Ah, quid te tenero e flore Deus Pater
Gnatam tam propere postulat in Polum:
Haud quando immemor, heu! sed prius horridis
Jungentur Capreae Lupis.*
Filia *Quid semper tibi jam flebilibus modis
10 Gnatam proderit hanc flere ita mortuam?
Sit; non Nestoreus semper amabilem
Flebat tam Antilocum senex.*
Mater *Sic est; lacrymulis vix modus est meis:
Sit, sit, plangor et angor; quoniam amplius
15 Non possum revocare e Tumulo. Vale,
J prae, te sequar, o brevi!*

Haec paucula condolentiae ergo app.
Sigismundus Pamphilianus Lypnic-
cens. Moravus p. t. Praec. Aul.

6. ADR: Benedictus Amundi – Aut: Laurentius Ludenius (In /.../ obitum et abitum /.../ Benedicti Amundi, Wermelandia-Sveci, SS. Th. stud. qui 28. Maij anno 1643. Dorpati Livonorum /.../ denatus; cujusque exuvia 1. Junij tumulo ibidem; quod est in Templo Mariano, sunt concreditae; scriptum ab amicis et condolentibus. – Dorpati Livonorum, <1643>: J. Vogelius.) H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

BENEDICTUS AMUNDI:

Per Anag.

BENEDICTUS INDUAM.

Coelestis BENEDICTUS ego per seculo Patris
 Immortale quod est INDUAM honore decus.
 In summo Capiti CHRISTO jungar Olympo;
 Cum CHRISTO aeternae gaudia lucis agam.

Condol. app.
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.
 ac Prof. P.

7. ADR: Benedictus Amundi – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 6)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Ut rosa purpurei decus exoptabile veris,
 Pandit odoriferas Sole oriente comas,
 Mox Phoebi radiis, Boreaeque exercita flabris,
 Claudit odoriferas Sole cadente comas;
 5 Sic homo vitales quam primum prodit in auras,
 A tergo instantis Spicula mortis habet.
 Soli homini vitam stabilem natura negavit,
 Non aetas eadem, quae fuit ante, redit.
 O felix vitae cursum qui rite peregit!
 10 Salvus in aeternum, qui bene vixit, erit.
 Dic mihi, num terris melior, vel in aethere sors sit,
 Dic mihi, quae vitae nomine digna magis?
 Hanc, tribuente Deo, BENEDICTUS nactus utramque:
 Et fruitur coelo, et vivit in orbe simul.
 15 Mens coelos ingressa, dato recreatur Olympo,
 In nostro et mundo fama superstes ovat.

Ex affectu sincero in pie denatum paucula
 haecce apposuit
 Petrus Caroli Udenius,
 W. Gothus.

8. ADR: Benedictus Amundi – Aut: Johannes Jonae Allengreen (cf. 7) H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

O Mors terribilis! mors horrida! mors et amara!
 Quae nunc incessit tanta libido tibi?
 O mors dira nimis, quae te inclementia cepit,
 Quod cupida rapias optima quaeque manu?
 5 Hic mihi jam testis BENEDICTUS morte peremptus,
 Longum qui morbum corpore passus erat.
 Inde Pater, Mater, Fratres, pariterque Sorores,
 Profundunt lacrymas more fluentis aquae.

10 Sed frustra: vivit jam terque quaterque beatus
Cum Christo in coelis Angelicoque choro.

Quod moesto animo apposuit
Johannes Jonae **Allengreen** /
W.Gothus.

9. Adr: Benedictus Amundi – Aut: Jonas H. Bechaelius (cf. 6)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Quamquam vita, Dei mortali in corpore donum est,
Nostraque divina membra foventur ope:
Oppressa est tamen haec ingenti mole malorum,
Debilis, et nunquam vita dolore caret.
5 Non hic certa quies, non gaudia vera parantur,
Gaudia coelesti sola relicta choro.
Felices igitur vere, vereque beati,
In Domino vitam qui posuere suam:
Vulneribusque tuis confisi, Christe Redemptor,
10 Expectant vitae gaudia magna novae.
Sic BENEDICTUS adest placida jam morte peremptus,
Gothica quem tellus deliciosa dedit.
Doctrinam cupidis Evangelij auribus hausit,
A summa veniens quam tulit arce Deus.
15 Ac postquam in terris vitae jam stamina rumpi
Agnovit, victus mortis agone gravi,
Commendans animam tibi, CHRISTE; exordia vitae
Hausit non dubia Speque fideque novae.
Mens igitur Patriae fruitur coelestis honore,
20 Hoc tantum tegitur corpus inane Solo.

Condolentiae ergo scripsit
Jonas H. Bechaelius, WermL.

10. Adr: Benedictus Amundi – Aut: Olaus Michaelis (cf. 6)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Certe pertenui dependent omnia filo,
Et subito casu corrui omnis homo.
Nulli luctificae didicerunt parcere Parcae;
Subditus et Dominus sunt in agone pares.
5 Mortis ab Imperio non Simson fortis abivit,
Non sapiens Salomon, non Cyrus ille potens.
Non igitur mirum quod jam BENEDICTUS obivit,
Qui vixit nostri fama Sodalitij.
Vixit! Christo animam pulchro concredidit ore,
10 Quae nunc in coelis gaudia plena tenet.
Jam tamen efferimus, tumulo et concludimus ossa
Corporis extincti! mortua membra jacent.
Sic anni in mundo nostri pereuntque caduntque!
Vita hominum, luctus perpetuusque dolor.

Doloris contestandi causa app.
Olaus Michaelis, W.S.

11. Adr: Benedictus Amundi – Aut: Petrus Magni Esping (cf. 6)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

O dolor! O lacrymae! Quam fata miserrima gentis
 Humanae! quam nunc sors inimica fluit!
 Ante diem Parcas BENEDICTI rumpere fila
 Cernimus; unde jacet mortuus ante oculos!
 5 Et licet ipse mala non conditione fruatur,
 Quando tenet superi regna beata poli.
 Nos tamen hinc tristes in fletum solvimur omnes,
 Dum spes succubuit pulchra sodalitiij.

Condolentiae causa apposuit
 Petrus Magni **Esping.**

12. Adr: Benedictus Amundi – Aut: Jonas Johannis Scarensis (cf. 6)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Spacium, ceu fumus, in auras
 Vitae quod solvitur hujus,
 Praeterquam pagina Sacra,
 Sat et experientia monstrat:
 5 Tener hic namque ubera sugens,
 Patitur vim mortis acerbae;
 Juvenili in flore virescens
 Itidem ejus Spicula sentit.
 Alius pereuntibus annis
 10 Canus, sua lumina Claudit;
 Dubiis sic passibus errat
 Hominum illa volubilis aetas!
 Ejusdem fulmine tactus
 Occumbit et hic BENEDICTUS,
 15 Vigili qui strenuitate
 Versabat Pallados Artes.
 Almae is Pietatis amator,
 Et Gestans cor sine felle
 Arvum mortale relinquens
 20 Hanc vocem e pectore fudit.
 Vale nunc o lubrica vita,
 Valeant chari mei Amici;
 Vocor hinc ad coelica regna
 Ubi sum mansurus in aevum.
 25 Nunc tu exuvias cape tellus,
 Invisit Spiritus astra
 Ubi summo Numine gaudet
 Dum coelum sidera pascet.

Ultimi honoris ergo appendit
 Jonas Johannis Scarensis.

13. Adr: Benedictus Amundi – Aut: Tholetus Arvikander (cf. 6)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Strenuus Aonidum cultor BENEDICTUS AMUNDI,
 Aeger erat: lecto decubuitque diu.
 Strenuus Aonidum cultor BENEDICTUS AMUNDI,
 Aetate in viridi hinc languidus emoritur!

5 Eheu quam dura est subitae inclementia mortis!
 Invasit nostros Pieridumque sinus!
 Floruit, ut floret rosa vivida, Sympatriota;
 Floruit ingenio, floruit arte sacra!
 Floruit; ast moritur Pietatis et Artis Alumnus;
 10 Spes patriae moritur, Pieridumque Chori.
 Sic nulli parcit subitae inclementia mortis;
 Quae rosa mane viret, vespere demoritur!
 Spiritus ast postquam mortales exiit artus,
 Collustrat visu gaudia summa poli.
 15 Hinc o dilecti vos proximitate Propinqui,
 Mittite moerorem, mittite lacrymulas.
 Tempus erit, quando revocabit membra sepulchro
 Christus, et ad coelos vivificata feret.

Haecce paucula in pie Defuncti, Conterranei et commen-
 salis sui memoriam, moestissimo animo subnectebat
 Tholetus Arvikander, Vermelandus.

14. Adr: Benedictus Amundi – Aut: Laurentius Erii Emzlius (cf. 6)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Triste, liquet, sydus quartas peragrasse Calendas
 Junii⁶⁹; quodque piis triste superstitibus!
 Namque aerae eripitur, studiis qui vixit honeste,
 Manes atque citos sustinet ille suos.
 5 Aspice! Sed morbi longis cruciatibus ustus
 Solvitur; atque ipsi redditur alma quies.
 En! Pius in svavem concludit lumina somnum:
 Laetaque jam coeli tecta beata subit.

Amoris et honoris ergo apposuit
 Laurentius Erii Emzlius,
 W. Goth.

15. Adr: Benedictus Amundi – Aut: Andreas Helgonis (cf. 6)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Funeris incerta est nobis mortalibus hora;
 Mortis nil telo certius esse ferunt.
 Musarum vigil, o noster BENEDICTUS, alumnus,
 Hoc attestatur dum modo succubuit!
 5 O quam jam tristis mors nobis illa futura,
 Quae tamen ipsa tibi mors preciosa manet!
 Namque tibi splendor requiesque est reddita grata;
 Pro lachrymis retines gaudia vera Poli.

Amoris et honoris ergo fudit
 Andreas Helgonis, W. Gothus

16. Adr: Benedictus Amundi – Aut: Laurentius Laurentij Kilander (cf. 6)

H, [Tartu UB]

EPICEDIUM

Eheu quam subito nos haec mundana fatigant!
 Omnia quam vani gaudia vana soli!
 Carnis iere viam Patres turbante senecta;

⁶⁹ *JunI* H

5 Soepe tulit Juvenes mors inopina Viros.
 Exemplum nostro BENEDICTUS ponitur aevo,
 Musas qui coluit sedulitate pias:
 Jam iacet exanimis telis confossus acuti
 Morbi! mens alto gaudet inesse Polo:
 Siste igitur Lachrymas, o tu charissima Mater;
 10 Nam rapit heu cunctos mortis avara manus!

Moesto calamo apposuit
 Laurentius Laurentij Kilander,
 W. Gothus.

17. Adr: Benedictus Amundi – Aut: Andreas Andreae Tremulander (cf. 6) H, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Lurida quid rapido praestet mors, cernite, dente;
 Infert Divitibus, Pauperibusque necem,
 Quaeso, mala aspiciate haec venerunt unde parata?
 Morsu ah pestifero protulit Eva suo!
 5 Illa lues, Musae Sobolem doctamque piamque
 Vulnere lethifero corripit, atque premit!

Quod moesto animo appos.
 Andreas Andreae Tremulander.

18. Adr: Benedictus Amundi – Aut: Ericus Laurentij Kollingius (cf. 6) H, [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Nil prodest homini multos numerare per aevum
 Annos, quando quies non datur ulla Piis.
 Exemplum dat defunctus BENEDICTUS AMUNDI,
 Quem morbus pressit; longior, eripuit.
 5 Ast jam laetatur, morbi vicitque labores,
 Cum Christo in coelis gaudia summa tenet.

Vltimi honoris ergo app.
 Ericus Laurentij Kollingius.

19. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas toga et sago illustrissimi, /.../ Gustavi Adolphi, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1642. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1643: Typ. acad.)⁷⁰

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
 DEDICATIO

CHRISTINA,
 REGINA
 SVECIAE.
Per Anagramma:
 CHARIS
 IN REGNA IT
 SVECIAE.

Est Dea dicta CHARIS, Natura mitis et annis,
 Officiosa Pijs, Deliciosa Probis.
 Sancta CHARIS, CHRISTINA-CHARIS; *Regina* Serena

⁷⁰ Cf. 1636.14; 1641.11; 1642.22-24; 1643.21; 1644.4; 1645.13; 1646.4; 1647.17; 1648.12-13; 1649.16.

IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.
 5 SALVE, Sancta CHARIS; SALVE, *Regina*; Jehova
 Auspice, sis REGNIS Mater-Honora-CHARIS.

20. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 19)

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
 DEDICATIO

S. Reg. Mai. ^{tis}
 Symbolum.

CHRISTUS REFUGIVM SUORVM.
 CHRISTINA REGINA SVECIAE.

*CHRISTus, virgINEi Proles pulcerrima pArtus.
 Progenies aequaeva Deo; Mortalibus agris
 Antiquam Generis labem peccataque culpae
 Tollens, obstructi et reserans claustra ardua coeli:*
 5 *Est Re confugium REGINAE, est ortus ab alto
 Irradians Vigor, Omnipotens Vigor omnia replens:
 Optatum SVEonum CalIdAE per secula Lucis.
 Munus, Numen, Honos, sperataque Vita Suorum.
 Salve, aevi, Regina, CHARIS! Pietate vocante,*
 10 *Erecto coelum vultu petat Enthea Virtus!*

21. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. liberatoris Livoniae, /.../ Gustavi Adolphi /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est die 6. Novembris anno 1643. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati, 1643: Adad. typ.)⁷¹

SKB, UUB, [Tartu UB]
 DEDICATIO

*Serenissimae et Potentissimae Principi
 ac Dominae,*

DN. CHRISTINAE,

Dei Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginae, ac Principi Haereditariae; Magnae Principi Finlandiae; Duci Esthoniae et Careliae; Dominae Ingriae, etc.

Victrici, Piae, Felici, Augustae, etc.

Vitam, Incolumitatem et Felicitatem p.p.

*PATRIS, et aequaevae SOBOLIS, FLATUSque SACRATI
 Annuat aeterna PACE perennis AMOR!
 Est DEA dicta CHARIS, Natura mitis et Annis,
 PACIS amans, Orbis deliciosa CHARIS.*

CHRISTINA,
 REGINA SVECIAE:

Per Anagram.

CHARIS

IN REGNA IT SVECIAE.

5 *Sancta CHARIS, CHRISTINA CHARIS; Regina Serena*

⁷¹ Idem 1636.14; 1644.4; 1645.13; 1646.4; 1647.17; 1648.13; 1649.16. Cf. 1641.11; 1642.22-24; 1643.19-20; 1648.12.

*IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.
Est Pater Illustris Phoenix in Prole renatus:
AdVeniat, Videat, Vincat amica CHARIS!*

SS. Reg. Maj. Symbolum:
CHRISTUS REFUGIUM SUORUM.

10 *Nam RE conFUGIUM REGINAE CHRISTUS; ab alto
Irradians, complens Regia Corda, VIGOR.
CHRISTUS, Numen, Honos, nitidissima Vita SUORUM:
Arctoi Regni Lux, Sator, alma Salus!
Salve, Sancta CHARIS! Salve, REGINA! IEHOVA
Auspice, sis Regni deliciosa CHARIS.*

22. Adr: Petrus Magni Espingh – Aut: Ingemarus Petri Smetander (Oratio de vera Dei ecclesia: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 17. Julij, anno 1643. publice /.../ enarrabat Petrus Magni Espingh, /.../ - Dorpati Livonorum, 1643: Lit. acad.) SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.

*PETRE, subis montem Divum! bene sacra recludis,
Atque Ecclesiolae fata vicesque refers
Conatum egregium, conatum laudibus amplum,
Et celebrem studijs, non sine flore refers.
5 Egregios ausus laudo, his insistere perge;
Perge ita, doctus eris; Perge ita, major eris.*

Deproperatum
ab

INGEMARO PETRI Sme-
tandro Phil Cand.

23. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Laurentius Ludenius (Sacris nuptiarum honoribus /.../ Johannis Georgii Gezeli, in Regia Academia Gustaviana quae Dorpati /.../ est /.../ lingvarum Orientalium et Graecae, professoris ordinarii, sponsi; /.../ die 26. Junij anno 1643. Rigae conjugium contrahentis cum /.../ Gertrude, /.../ Petri Arvidi Guthemii, ecclesiae Svec. quae Rigae ad D. Jacobi colligitur pastoris, districtus Rigensis praepositii, nec non proto-synedrij Dorpatensis adsectoris /.../ filia, sponsa; quaevis fausta precantur Musae Embecciaedes. – Dorpati Livonorum, 1643: Typ. acad.)
UUB, LAB, [H], [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

M. JOHANNES GEORGII GEZELIUS:
Per Anagr.
GEZELI, EGREGIUS HONOS ANIMI.

GERTRUDIS PETRI GUTHEIMIA:
Per Anagr.
VRGE: MITIS TRAHIT! PERGE DIU.

*Clare Vir, et nostri decus immortale Lycei,
GEZELI; EGREGIUS sancta fulgentis in Arte
Floret HONOS ANIMI, et Veneris splendore coruscat.
Afflatus sanctae Eusebiae Divinitus aura
5 Tollis humo dociles ipsum super aethera mentes.*

Est tua Socratico felix Sapia sensu,
 Et culto condit se pectore longa vetustas.
 Alta Palaestina, et Latium, et Germania, et illa
 Docta SveoGothico tibi Graecia profluit ore.
 10 Eloquentio resonante tuo, Veterisque Novique
 O Testamenti veneranda Oracula, sancto
 Pulcra lepore creant Studiosae corda Juventae,
 Crescentique sacras jungunt cum pectore dotes.
 Et jam, quod faustum ac felix velit esse Jehova;
 15 Illa verecundis GERTRUDIS moribus aucta,
 Archisacerdotis pulcherrima Filia PETRI
 ARVIDI, Virgo natura MITIS et annis
 Te TRAHIT, et sociae vocat ad nova gaudia vitae.
 VRGE in amore pares ANIMOS: TRAHIT ardua Virtus,
 20 MITIS amore Venus, felix constantia mentis.
 PERGE DIU: et longo laetentur ut omnia seculo,⁷²
 GEZELI; EGREGIUS sancta florentis in Arte
 Vivat HONOS ANIMI, et Veneris pietate triumphet.

Quod in felix auspiciam
 app.

LAVRENTIVS LVDENIVS,
 PH. et J.V.D. Poët. C. Profess.
 et pro t. R. M.

24. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Andreas Virginius (cf. 23)

UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

*GEZELI, Svada Hebraeae Graeque loquela,
 Eusebiae et Sophiae gloria laeta Deae.
 Ergo verecundo GERTRVDIS amabilis ore
 Virgo, venit thalamo Sponsa futura tuo.
 5 Illa Sacerdotis Soboles nitidissima PETRI
 ARVIDI, Generis deliciosus honos.
 Ingenium Charites, veneranda Modestia vultum
 Finxit, et insignis pectora casta Fides.
 Qualis gemma micat, fulvum quae dividit aurum,
 10 Talis in egregio conspicienda toro.
 Sis felix sospesque diu: GERTRVDIS amata
 Sit comes hinc vitae delictumque tuae.
 Plena venustatis sint omnia, plena bonorum;
 Et videas grata Prole virere domum.*

Quod animitus vovebat
 ANDREAS VIRGINIVS, Nob.
 Pom. SS. TH. D. et Prof. pri-
 marius, ac Protosynedrij
 Adessor.

25. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Johannes Eriki Stregnensis (cf. 23)

UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Cur non fortunae mihi Proles esse puteris,

⁷² *seculo* edd metri causa

Clare Vir ingenio, Clare Sodalitio?
 Ecce tibi triplices, Christo Auspice, donat honores:
 Sertaque promeritis fert triplicata comis.
 5 Te Sophia edocuit, quo coeli machina motu
 Currat, et amplexu sidera cuncta ferat.
 Te Sophia edocuit, totum quo fine beatum
 Dirigitur; quae sit norma verenda boni.
 Hinc Sophia ornavit merita tua tempora fronde;
 10 Imposuit capiti sarta Magisterij.
 Ingenij vires mirata est ardua Pallas
 Et dixit; Felix ille Professor erit.
 Ascendat cathedram Hebraeae Grajaeque loquelaе,
 Mercurij Sobolem svaviter erudiat.
 15 Cecropiae inde sonat feliciter aemulus urbi,
 Hebraeique oris gratia multa fluit.
 Vidit, et ut vidit Venus; admirata; loquuta est,
 An non imponam myrtea sarta Viro?
 Dixit; et ad clarae duxit pomoeria Rigae,
 20 Floret ubi coetus gloria Virginei.
 Candida GERTRUDIS floret GUTHEMIA Virgo,
 FIDA futura domo, candida fama toro.
 Vidit; et igniculos mansuri immisit amoris,
 Alter et alterius gaudet amore frui.
 25 Quid non Fortunae te prolem dixerit? una
 Nocte; Magistra, tua est Sponsa; Marita tua est.
 Annuat Omnipotens: finitis mensibus, aequo
 Vox Patris, Matris, Prolis et ore fluat.
 Multa efflorescat gratarum copia rerum,
 30 Mutua speratae gaudia pacis eant.

Ita p.
 M. JOHANNES ERICI STRE-
 GNENSIS, Physices et Ast. P.O.

26. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Andreas Sandhagen (cf. 23)

UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

*Salve laeta dies, Sponsis quae sidere fausto
 Affulges, stabilique Sacros conjungis amores
 Foedere; tuque pijs votis Sponsi et Neonymphae
 Nox optata, novi thalami spes maxima, salve!*
 5 *Cognitione valens Sanctae GEZELIVS artis
 Lingvarum, nostri pars haud postrema Lycei,
 Insignis pietate Viri dum visitat aedes
 GVTHEIMI, egregia captus virtute puellae
 GERTRVDIS, castos formae praestantis amores*
 10 *Concipit, occultoque simul mox carpitur igni.
 Non potis extingvi hic, Derptae seu nota vicissim
 Tecta subire paret, seu praemeditata per artem
 Tradere publicitus cupiat, GVTHEIMIA Virgo
 Mox retrahit, Rigam vocat ad socialia lecti*
 15 *Foedera, Numinis auspicio jungenda supremi.*

*Felix par: Socero hoc felix Gener; atque vicissim
 Felix hoc Genero Socer; ac dignata Mariti
 Talis conjugio felix ante omnia Sponsa!
 Sit, rogo, foecundus vester torus, atque quietus:
 20 Intemerata fides, pax, et concordia firmo
 Stent pede: Quodque annis adimet rugosa senectus,
 Id juvenescenti totum, precor, addat amori!*

Quod animitus voveo
 ANDREAS SANDHAGEN /
 North. Hist. et Pot. P.P.

27. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Joachimus Schelenius (cf. 23)

UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Munus Arithmetici Sponsus subijssse videtur,
 Nam quatuor species callet et arte tenet.
Multiplicat, numerat, restantia subtrahit, addit,
 Ast non gaudet mens addita dividier.
 5 Aetatem *numerans*, inquit, jam vivo tot annos,
 Absque ferace tamen conjuge sumo dies.
 Principium numeri est Unum, non dividit unum,
 Insuper et species multiplicare nequit.
 Ergo carpit iter Rigam velociter, *addit*
 10 Electam Sociam cum pietate sibi.
 Virginitatis ei cinglum⁷³ mox *subtrahit*, atque
 Conatur speciem *multiplicare* suam.
 Tu Deus his adsis curans ne *dividat* ambos
 Mors praecox; longos da sed utrique dies.

Amicitiae ergo approperabat
 JOACHIMUS SCHELENIUS
 Math. inf. P.P.

28. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Michael Bostadius (cf. 23)

UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

*Candida Divino fiunt connubia nutu,
 Dum Pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
 Casta Salutifero succendit pectora Amore,
 Connectitque pias sociali stamine mentes,
 5 Vt sint inter sese, auresque manusque pedesque.
 Clare vir, et Clarij pulcherrima fama Lycei
 GEZELI, decus Haebraeae Grajaeque loquela;
 Ecce tuum in thalamum castissima Virgo locatur,
 Moribus insignis, natura mitis et annis,
 10 Clari GVTHEMII pulcerrima Gnata Parentis,
 Nomine GERTRVDIS; bene fida; columna Penatum;
 Optata capias ingentia gaudia mente,
 Mutua constanti dulcedine commoda crescant,
 Et mansura pijs, veniant incendia flammis.
 15 Sitis faecundi, foecundi sitis in Annos:*

⁷³ *cinglum* edd metri causa

*Et pia progenies felici crescat honore
Palmitis instar hebens, totam mensamque coronans.
Sic precor et voveo; nostris, Deus, annue votis.*

Fausti ominis E. scrib.
M. MICHAEL BOSTADIUS,
Dorpati ad D. Mariae Past.

29. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Adrianus Verginius (cf. 23)

UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

Incomitatus iter formosus carpit Apollo
Visurus Venerem, dulcis quae mater amoris.
Vectus equi dorso nunc huc, nunc devius illuc
Errabat. Mens hinc curarum fluctuat undis.
5 Forsan in occursum Corydon properabat; Apollo
Talia voce refert; quo tendis amice Viator,
Dic, via quae pulchram Veneris me ducat ad arcem?
Tu quis? respondet Corydon: mox insit Apollo;
Clarus Apollo vocor, non est me doctior alter,
10 Immortale meum volitat super aethera nomen;
Eloquar ut brevibus; sum qualibet arte Magister.
Subridens Corydon, tune inquit gnarus es omnis
Artis, et a trito declinans tramite nescis
Mater amoris ubi sua dulcia tecta locarit?
15 Haec via quem lateat? docuit Natura Magistra.
Ad te sermonem, Clarissime, dirigo, Sponse;
Ingressurus iter, non somniculosus aberra
Tramite, nam Corydon errantem risui habebit.
20 Serva consilium quod praestat amicus amico,
Hinc iter ut coeptum Supremus prosperet opto.

In honorem Clarissimi Dn. Sponsi, Amico
sui certissimi ita ludere voluit
ADRIANUS VERGINIUS, Julino Pomeranus,
Eccles. Nügg. prope Urbem Dorpatum Pastor, et
Facultatis Theol. Adjunctus.

30. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Olaus Georgii Salenius (cf. 23)

UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

*Qva nunc laetitia Sponsus cum conjuge casta,
Quo laeto plausu gestiat ille, vide.
Candida GEZELIO juxta assidet ore rubente,
Eloquitur placido verba directa sono.
5 Alter in alterius consvescit abire lacertos,
Alter et alterius gestit amore pio.
O quam dulcis amor, simili qui pectora nodo
Bina arctat, morem dexteritate fovet!
Felix qui potuit socium cognoscere talem,
10 Auxilio similem mente animoque parem!
Vt vigeat flagrans sincero in pectore flamma
Ad pia propensum vota vocabo Deum.
Pulchra prole Domum vestram repleatis, ametis*

Mutuo amore; bonum det Deus omne, precor!

Jocus Esthonicus.⁷⁴

15 **Nouse vllesz armasz I send/
Net kaksiket kick ohtwat sind/
Wotta Morsia/ mene tanzil/
Ninck hoya sa ohma kanzi:
Sina Raudkesi mööka kahn/
20 **Saisa vllihaste sähl mann/
Wie Peigk ninck morsia senge/
Lasze neidt vtzinde mengi:
Jumal andko neile onne/
Sedde mina neile günne.****

Gratulabundus scribebat
OLAUS GEORG SALENIUS,
Wesmannia Svecus Past. Rigensis.

31. ADR: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Ingemar Petri Smetander (cf. 23)
UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

Nubila cum Coeli cessarent, atque niteret
Aether, corripio viam,
Deside nec passu pergo, quo in valle reducta
Sensus exhilarem meos.
5 Sed dum mirabar, gemmantes jammodo flores,
Vento concidere arduo:
En Rosa sanguineo cadit aucta colore: recumbit
Narcissus; violae cadunt.
Paeoniam video Regalem, Hyacinthum, Amaranthum
10 Emarcescere maxime.
Haec ego cum fessus vigili sub mente foverem
Mox somno placido fruor.
Obtulit in somnis se Diva potens mihi Cypri:
Splendent sardonichis comae.
15 Talibus aggreditur me dictis: Mitte tenellas
Mirati violas meas,
Volve animo flores, quod flatus non Nabathaeus
Unquam sternere sit potens:
Virtutis tantum semper possessio constans,
20 Constans ejus et est decus:
Floribus his tinctus nobis est gratus Amicus,
Qui mentis violas fovet;
Scilicet egregij GEZELI fama virescit.

⁷⁴ Cf. editio et commentarium: A. Saareste, A.R. Cederberg, *Valik Eesti kirjakeele vanemaid mälestisi A. 1524-1739*. Akadeemilise Emakeele Seltsi Toimetised XVI. Tartu, 1925-1931, 360; V. Alttoa, A.Valmet, *17. sajandi ja 18. sajandi alguse eestikeelne juhuluule*. Tallinn: Eesti Raamat 1973, 44; Editio in: E.-L. Jaanson, *Tartu Ülikooli trükikoda 1632-1710. Ajalugu ja trükiste bibliograafia*. Tartu: Tartu Ülikooli Raamatukogu 2000, 155.

25 Ut longo vireat die,
 Dante Deo, Virgo GERTRVDIS jungitur ipsi
 Conjux florida, candida.
 Somnus abit subito: quo commoda mille precarer;
 Sic facta voveo prece:
 Spiritus o Domini jungendos dirigat, aptis
 30 Et Vinculis animos liget;
 Accipiant faciles successus tempore longo;
 Et non sit sterilis torus.

In felix ausp. ap.
 Ingemarum Petri Sme-
 tander, W-Gothus, Ph. Cand.

32. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Andreas Matthiae <Torpenensis> (cf. 23)
 UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Festa dies haec est merito tibi, Clare Magister,
 Qua celebras thalami gaudia vera tui.
 Gratulor inde tibi Sponsam quod moribus aptam
 Nactus, quae requies grata futura tibi:
 5 Hac cum permultos vivas feliciter annos
 In pietate, bona pace, fideque tori.
 Faxit Jova, piae maneant vos praemia vitae,
 Atque Deus thalamum divite prole beet.

Honoris et debitae observantiae
 ergo apposuit
 Andreas Matthiae Torpenensis,
 Smol. Svecus.

33. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Laurentius Mormannus (cf. 23)
 UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

*Nvminis auspicio sociati foedera lecti
 Qui pangunt, sumunt gaudia vera tori:
 Prosperitas rerum fundumque domumque beabit,
 Vsque domi requies, usque quiesque foris.
 5 Jungeris Veneri sociali foedere GERTRVD
 JANE, fide pollet deliciosa Venus.
 Purpureis socios animis appone lacertos,
 Blandisonis dictis oscula junge genis.
 Aeternus vobis Christus benedicat: Amori
 10 Prospera multa ferat, gaudia vera ferat.
 Felix sit vester Corbis, sint relliquiaeque.
 Sit Chorus hinc faustus, sitque in honore torus.*

Laurent. **Morman.**

34. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Petrus Caroli Undenius (cf. 23)
 UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Foeminei felix, GERTRVDIS, gloria sexus;
 Quod felix faustumque velit Deus esse Jehova;
 En tibi GEZELIUS, Decus immortale Lycei,

5 Gloria Musarum, vinclo propiore ligatur.
 Hic tibi sit socius curae, sociusque laboris,
 Dissidij fugitans, requies, pax optima rerum.
 Hic tibi floriduli thalami sit portus amoenus.
 Florida nascantur genialis pignora lecti;
 Sic laeti sine fine dies, sine lite triumphi
 10 Exsurgent, et erunt optatae secula vitae.

Debiti honoris causa adiecit
 Petrus Caroli Vndenius,
 W-Gothus, S.S. Th. Stud.

35. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Sigismundus Panphiliani (cf. 23)
 UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Sponsi Sermocinatio.

Quantum distet ab Omphale
GERTRVD, quae vitijs talibus omnibus
En Gentilibus o caret;
Hac abluta Sacro Sangvine, libera est;
 5 *Hoc vitam precio Poli*
Mercata est, et opem praetulit optimam;
Hoc salvante, simul Stygis
Aeternis caret et supplicijs, docent:
Hanc Nuptam propere novam
 10 *Donec fata sinent, pectore diligam*
Ex toto. Eja igitur bene
Miscentur Cyathis pocula commodis,
Convivae ut celeres bibant;
Centenos Cyathos offerat hospiti
 15 *Hospes: Nunc pariter licet*
Perpulchras manibus tangere mollibus
Nymphas cumque Sororibus.
Nunc saltare juvat; cur Berecynthiae
Cessant flamina tibiae?
 20 *Cur pendet tacita fistula cum lyra*
Parcentes ego dexteras
Odi: tange lyras: audiat optimus
Saltantes Veneres pias:
Me castus Veneris torret amor meae.

Τῆς φιλίας ergo properabat
 Sigismundus Panphiliani,
 Lypniensis Moravus

36. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 23)
 UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Quid facis Embeccae gratissima Najadum venustas?
Vesanus ignis pectus unice urit?
Sic ipsi voluere Dij: Sic nostra fata pulcrae
Sinu puellae leniter feruntur;

- 5 *Hactenus ut solis, GEZELI, rite Cynthiae horas
Musis dedisti, tutus ambulasti.
Esse tibi ulterius tuto haud licet: Est puellularum
Festiva credas turba saepe fallax.
Si Superi vellent, nec possent subvenire: Et ipse*
- 10 *Feretrius cum defuit suo igni.
Tactus erat primo Germanae (tunc tenellae) amore,
Coepit Monetam non sororem habere.
Viderat hoc quondam Grandaevus Falciger Parens: Sed
Amore crimen casto erat tegendum*
- 15 *Soepius et Cybele conspexerat optime oscula ambum,
Quae castitatis signa computarat.
Juppiter interea suspiria duxerat frequenter,
Et corda blandi traxerant furores.
Quaque suos gressus Juno tulit, Anxurus tulitque,*
- 20 *Assedit, arcte et junxit usque corpus.
Oscula disposuit: Sed quid post illa sustineret
Vix ipse novit: Morbum amare coepit.
Nec mora, jam macies priscum hauserat artuum vigorem;
Hinc dat querelam Matri, et haec Marito,*
- 25 *Lumina mox Chiron movit, placide atque opem medelam
Manus salubres contulit senectae.
Audijt hoc latitans sinuosa in valle tum Prometheus,
Nondum Typhonis Filiae rapina.
Vtque fuit primum noxae illi consulens subortae,*
- 30 *Risit, remittens Matris ad suae aras.
Templa adijt Themidos, cespes fuit isque stramine auctus
Casae ad fores mox fulmen ille figit.
Haec Superis responsa dedit, non saxa Delphica ulli
Comansve Laurus cognita orbi adusque.*
- 35 *Reddita vox luco, audierant quam Najades sub antris.
Celare vultus hinc Deae trementes.
Hoc Iuno, quod poscis, habet tibi quas petisque sortes:
Sinu feruntur fata sub Sororis*
- 40 *Caeco aenigmate percussus stetit Anxurus timensque
Simplex erat, tum nescius futuri.
Rursus in amplexum Germanae fertur, albicantes
Vt ante jungit molliter genellas.
Quoque nihil desit velamina sternier per herbas
Iubet, reponit sindonemque Iuno:*
- 45 *Conjuncti hinc pariter recubabant arboris sub umbra.
Ambo soporem ceperant eundem.
Sic ipsi voluere Dij: sic nostra fata pulcrae
Sinu puellae leniter feruntur.
Hac volo narrata: At tu Excellens Sponse, Juppiter sis,*
- 50 *GERTRVDA Juno, Fatum habens beatum*

*Dos est: IVgaLIIs CastItas,
PIetas, LeporqVe: CharItas,
SpeCle VenVstas, et pVDor:*

55 *Hanc Conferet tibi, aVgVror.*⁷⁵
Conjux erit domi tuae,
Ceu vitis uvis obsita:
Mensam secus nati tui,
Dulces Olivae ramuli.
 60 *Producet avum largius*
Deus benignitatibus:
Cernas nepotes ut tuos,
Datos fovere parvulos!

Quod devote precatur
 Nicolaus Psilander, Smo-
 landia Svecus.

37. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Petrus Trottonius (cf. 23)
 UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Omnipotens rerum Dominus, qui cuncta creavit,
 Quique sua patria pro bonitate regit;
 Legitima instituit nos pangere foedera lecti,
 Quo vagus absit amor, castus et adsit amor.
 5 Quae Deus instituit, bene servas, Clare Magister,
 Sponsam quaerendo ti probitate parem.
 Grator; utrique precor Deus ut bona coepta secundet:
 Felix vita fluat, sit sine lite thorus!
 Florescat thalamus, crescat bona copia rerum!
 10 Vestrum nec solvat mors nisi lenta thorum!

ANNO

IVngItVr, EVseblae proLes pVLCrae GeretrVDae,
*GeZeLIVs; tibi Da pLaCeant ConnVbIa, ChrIste!*⁷⁶

Ita Neonymph<is> gratulari voluit
 Petrus Trottonius.

38. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Haquinus Platinus (cf.23)
 UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Hostia mactetur Matronae grata; cupitat
GEZELI dum ulnas casta Virago petit.
Excerptatur Fel quodcunque et corpus acerbi
Traxerit; Huc prunas Cypris amica tulit.

Votum.

5 ΝΥΜΦΙἘ καὶ ΝΥΜΦΗ, ἐπιχειρήσιν τελέσειεν
 Ὑμετέρην ΘΕΟΨ Ἐϋρυμεδων, ὃν ἐγὼ λιτανέω,
 Ὅφρα τύχητε γάμον τοιοῦ τῶς ᾧδε σιναπεῖν,
 Ἐν τ᾽ αὐτῷ μακάρον μακρὸν τε βιον βιοτεύειν.
 Ὡστε Βίοιο ἀνήκοντες τούτου διὰ παντός
 10 Κληρονόμοι βίου αἱ δίου κατὰ ἐλπίδα εἶναι.
 Κοιτάνου εἰρήνη, ἥ πάντα νόον, σοφίην τε

⁷⁵ Chronostichon annum 1643 exhibens.

⁷⁶ Chronostichon annum 1643 exhibens.

Νικῶ, φρουρείτῳ φρένας ὑμετέρας, κραδίας τε,
 Ἰφι ἀπωσαμένη κακὰ ταντ' ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ,
 ᾧ εἰς αἰῶνας γ' αἶνος, καὶ δόξα, κλεος τε.

Debita observantiae ergo app.
 Haquinus Platinus, Smolandus.

39. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Andreas Bergh (cf. 23)

UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

*MAGISTER IOHANNES GEORGII GEZELIVS,
 HEBRAEAE AC GRAECAE LINGVAE PROFESSOR
 DORPATENSIS PVBLICVS: SPONSVS.*

Per Anagr.

*AH SVRGE; I HVC SPONSA GERTRVD EGREGIA
 GAZA LECTI: SIS BONA SORS, BONA VIS, SPES,
 MEL, NON FEL: O PIE IESV, PRAEI AC REGE.*

Sermocinatio Sponsi.

*Omnipotens Princeps, casti fundator amoris,
 Quique homines Socio jungis amore tori:
 Mordaces hominum curas et taedia vitae
 Nosti, dum solus non bene vivit Homo.*
 5 *Nam thalami consorte carens, male vivit in orbe,
 Et vix ille hominis nomine dignus erit.
 Solus agens,⁷⁷ miser est, tristes noctesque diesque
 Ducit; curarum dulce levamen abest.
 Plena labore dies, versant suspiria lectum,
 10 *Quando aerumnarum dulce levamen abest.
 Et licet exuperet fulvo Croesumque Midamque
 Auro; et fac teneat jugera mille soli:
 Res tamen angusta est, angusti et cultor agelli,
 Hoc si curarum dulce levamen abest.*
 15 *Nonne igitur quaeram socium mihi rite fidelem?
 Quae mihi curarum dulce levamen erit?
 Quaeram: tu sociam vitae da; Christe, fidelem,
 Quae mihi curarum dulce levamen erit.*
 20 *AH SVRGE O SPONSA EGREGIA, HVC I GAZA cupita
 GERTRVD tu lecti dulce levamen eris.
 SIS BONA SPES, BONA SORS, VIS, MEL, NON FEL; mea SPONSA
 Sic mihi curarum dulce levamen eris.
 O PIE IESV I PRAE, casti fundator amoris,
 Ac placido nutu tu REGE cuncta tuo,**

GERTRVD GVTHEIM SPONSA.

Per anag.

ID GRATVM, SPONSE, VRGET.⁷⁸

⁷⁷ *agens* R : textus corruptus H

⁷⁸ Anagramma non recte constructum.

Sponsae Respons.

- 25 *Quod pia fata volunt, VRGET Divina voluntas,
Gezeli, ID GRATVM, SPONSE, decusque meum.
Clarus quod genitor genitrix fidissimaque VRGET,
Gezeli, ID GRATVM SPONSE Decusque meum.
VRGET quod syncerus amor, castissimus ardor,*
30 *Gezeli, ID GRATVM SPONSE decusque meum.
Quodque tori sociam nunc me cupis, ID mihi GRATVM;
Castaque sub tacito gaudia corde gero.
En tua ero GERTRVD re floescente secunda,
Sortis et angustae tempore fida Comes:*
35 *Sum tua, sisque meus, constanter amabo Maritum
Dum potero lingvae plectra movere meae.*

Votum.

- Hincce favete animis, queis Christi nomen amori est,
Laetaque nunc Sponsis cuncta rogate pijs.
Svavia perplacidae consumant secula vitae,*
40 *Purus perpetuo foedere perstet amor.
Perstet amor foecundus amor, facundior herba, ut
Magna nepotum altos turba salutet avos.
Castos Angelicae cingant turmae usque Penates,
Hostis ne noceat tartara nigra colens.*
45 *Diffugiant curae; procul avertatur Erinnyis,
Pace bona aeternum floreat ampla domus.
Musa sile. Neonymphe Vale, Vale Sponsa beate,
Candida sint semper foedera; Christe, fave.*

Distichon Numerale.

- 50 *GezeLlo InsignI se IVngIt bLanDVLa GertrVD
Rlgae; hInCCe o CastVs PVLLVLet, oro, torVs.⁷⁹*

Honoris et deb. gratitud. ergo Sympatriotae
et Promotori suo Magno, ita an<imit>us
Dorpati gratulari voluit
Andreas **Bergh** / Wesmann.

40. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Andreas Folchovius (cf. 23)

UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

- Insignem facie, Censu et Virtute puellam
Largiri poterat Svecica terra tibi.
Sed Venus inde vocans ad amoenae moenia Rigae;
Hic tibi, ait, dudum est certa parata Venus.
5 Hic te pulcra manet GERTRUDIS origine virgo,
Mille petita procis, mille negata procis.
Nec mora; certa fides Veneris promissa secuta est:

⁷⁹ Chronostichon annum 1643 exhibens.

Jam subit amplexus casta Virago tuos.
 Haud temere obveniunt Connubia grata: Maritam
 10 Unicuique suam donat habere Deus.
 Donat foecundam fortunatamque Maritam:
 GEZELiana Venus, sit speciosa Venus!

Andreas Folchovius, Nericiensis.

41. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Johannes Allengreen (cf. 23)
 UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Exoptata dies oritur, praeclare Magister,
 Qua datur in thalamum casta Virago tuum.
 Hanc tibi cum primis devoto gratulor ore
 Sponsam: atque ambobus candida fata precor.
 5 Vivite concordēs, felicem vivite vitam:
 Unus amor vobis adsit et una fides.

Johannes **Allengreen** / W-Gothus.

42. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Henricus Hierzelius (cf. 23)
 UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

*Piscis ut ad nassam ludens, maculam subijisse
 Conatur studio; hac nescius arte capi:
 Ast captus, caveae secernens rite recessus
 Nae repetit frustra an detur abire foras:
 5 Sic multi aspiciunt speciosa cacumina tecti,
 Inficiens sub quo foetida crypta latet.
 Sic numerosa virum et juvenum occoecata caterva,
 Externa an specie decipitur Veneris?
 Auguror, optatam te selegisse puellam,
 10 GEZELI, felix gloria Thespiadum.
 Non Sophiae proles, Circes modulamine tacta,
 Nec cessit metuens Colchidos insidias.
 Auguror, exoptata datur Lectissima Virgo,
 Dum GERTRVDA venit blanda columna domus.
 15 Auguror? Vxoris castos veneraris amores,
 Dum crescit Pietas, cum pietate pudor.
 Vivite Cumaeos annos: et taedia taedae
 Evitate datae! Spondeo, sponda viret!*

Henricus M. Hierzelius.

43. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Laurentius Lohm (cf. 23)
 UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Numina quod Sponsam jungunt tibi Sponse pudicam,
 Gaudeo: sit fulcrum nobile Conjugium.
 Optimus et Sponsus tibi quod datur, optima Sponsa,
 Gratulor: in terris vir bonus, alter olor.
 5 JOVA Pius faxit, ne gaudia vestra vel unus
 Per multas questus turbet Olympiadas,
 Sed tumulo tandem placide coëatis in uno,

In thalamo postquam nulla querela fuit.

Laurentius **Lohm** / Smolandus.

44. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Petrus Andreae Falck (cf. 23)

UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

*Attulit optatum tibi nunc, praeclare MAGISTER,
Tempus, amans Juno; pia quo tibi jungitur uxor
GERTRUDIS GUDHEIMS pulcris genitoribus orta,
Nympharum splendor, virtutibus aucta Virago,
5 Et laeto vernans jucundae flore juventae.
O igitur Patria et dulci Genitrice relicta
Semper in amplexu dilectae Conjugis haere!
Sint faciles in amore dies, et gaudia laeta,
Atque adnascantur felici sorte nepotes.*

Petrus Andreae, **Falck**.

45. Adr: Johannes Georgii Gezelius et Gertrud Guthemia – Aut: Arnoldus Mahlstedt (cf. 23)

UUB, LAB, [H], [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

Phoebaea exoritur bene lux, praeclare Magister
GEZELI, conjux qua tibi pulcra datur.
Hanc ornat morum candor, mens dedita Christo,
Integritas, pietas, et probitatis honor.
5 Haec tibi felici confestim sorte dicatur,
Ut tecum socios vivat agatque dies.
Praesto sit Christus sociali foedere junctis,
Conjugiumque novum prosperitate beet.

Arnoldus **Mahlstedt** / Livonus.

46. Adr: Gustav Adolph – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas toga et sago illustrissimi, /.../ Gustavi Adolphi, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1642. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1643: Typ. acad.)⁸⁰

SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]
DEDICATIO

REX
GUSTAVUS
ADOLPHUS.
Per Anagramma;
REX
AUGUSTUS
HAS DVPLO.
S. Reg. Maj.^{tis}
Symbolum:

CUM DEO ET VICTRICIBUS ARMIS.

Gratia, CHRISTE, tua est; Patriae Civemque Patremque
Quod gero, Res Sancti curo quod Imperij.
Gratia, CHRISTE, tua est; quod Res Victricibus Armis

⁸⁰ Idem 1636.25; 1643.47; 1644.15; 1645.47; 1646.19; 1647.37; 1648.25; 1649.22.

- 5 HAS REX AUGUSTUS conduplicando DUPLO.
CHRISTO Dante, mea Phoenix in Prole renatus
VIVO: Deo Vivat Regia Progenies!

47. Adr: Gustav Adolph – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. liberatoris Livoniae, /.../ Gustavi Adolphi, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis; /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris anno 1643. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1643: Typ. acad.)⁸¹ SKB, UUB, [Tartu UB]

DEDICATIO

REX
GUSTAVUS
ADOLPHUS.
Per Anagramma;
REX
AUGUSTUS
HAS DVPLO.
S. Reg. Maj.^{tis}
Symbolum:

CUM DEO ET VICTRICIBUS ARMIS.

Gratia, CHRISTE, tua est; Patriae Civemque Patremque
Quod gero, Res Sancti curo quod Imperij.

Gratia, CHRISTE, tua est; quod Res Victricibus Armis
HAS REX AUGUSTUS conduplicando DUPLO.

- 5 CHRISTO Dante, mea Phoenix in Prole renatus
VIVO: Deo Vivat Regia Progenies!

48. Adr: Martinus Henschelius et Elisabetha Hein – Aut: Laurentius Ludenius (Sacris nuptiarum honoribus /.../ Martini Henschelii, ecclesiae Christi, quae Revaliae ad D. Olai templum colligitur, in verbo ministri /.../ sponsi; /.../ die 2. Januarij anno 1643. conjugium contrahentis cum /.../ Elisabetha /.../ Henrici Heinii, J. U. D. eximij, ejusdemque in Regia Universitate Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ professoris /.../ et Supremi ibidem Judicij Regij adsectoris /.../ filia, sponsa; quaevis /.../ precantur Musae Embecciaes. – Dorpati Livonorum, 1643: Typ. acad.) Tallinn SA, [Tartu UB]

EPITHALAMIUM

MARTINUS HENSCHELIUS:
Per Anag.
HUMANIS CHRISTUS LENE!

ELISABETHA HEINS:
Per Anag.
HIS LENE, HIS BEATA!

Musarum Decus, HENSCHELI; sic tempore eodem
Se tibi despondet cum Venere Eusebia!
Eusebia eloquio pandit mysteria; CHRISTUS
Casibus HUMANIS LENE Levamen adest.

- 5 Casta Venus sanctae gaudet se jungere Divae
Ut commune pio pectore portet onus.
Casta Venus miro lucet candoris honore,
Et Patris et Matris sangvine clara Venus.
Hoc vitae formaeque datum; Venus ipsa videnda
10 Sit specie eximia, et Moribus ingenua.

⁸¹ Idem 1636.25; 1643.46; 1644.15; 1645.47; 1646.19; 1647.37; 1648.25; 1649.22.

Qualis gemma micat, fulvum quae dividit aurum,
 In socia talis sorte futura Venus.
 Et vitae radix! et fulcrum totius aevi!
 Omne laboris onus mutuus abdet Amor!
 15 Sic HIS LENE animis! sic HIS data fata BEATA!
 Et bene juncta Viro cum Venere Eusebia est.
 Quod ipsum in felix omen ap.
 Laurentius Ludenius, PH. et
 J.V.D. Profess. et pro t. Vniv. R. Mag.

49. Adr: Martin Henschelius et Elisabetha Hein – Aut: Andreas Virginius (cf. 48)

Tallinn SA, [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

*Clare Novenarum cultor, MARTINE, Sororum,
 Et desiderij pars animique mei.
 Dante Deo, geminum tibi nos gratamur honorem,
 Optamus coeptis prospera fata tuis:
 5 Eloquentio Dominum Christum quod detegis urbi,
 Et spargis Verbi semina sacra Dei:
 Illustrans monitis dociles sic erigis aures,
 Ut verae accipiant Relligionis opes.
 Inde, quod et faustum et felix velit esse Jehovah,
 10 Nunc intrat thalamos virgo venusta tuos.
 Moribus egregijs et Clara stirpe coruscans
 Virgo datur votis ELISABETHA tuis.
 Aspiret gemino fortuna secunda triumpho.
 Pastor, vive choro; vive, Marite, toro.*

Aliud.

15 *En! capias Sponsam, ter felix Sponse, venustam,
 Quae te flagranti coepit amore sui.
 Tu blandimentis illi constanter adhaere,
 Se captam suavi dicat amore tui.
 Sic taedis vestris Dominus benedicet in altis,
 20 Quaeque precor vobis, prospera cuncta dabit.*

Sic gratulatus est Neo-
 nymphis
 Andreas Virginius D.
 et Profess. P.

50. Adr: Martin Henschelius et Elisabetha Hein – Aut: Salomon Matthiae (cf. 48)

Tallinn SA, [Tartu UB]
 EPITHALAMIUM

Vir Reverende, pio monstrarunt dogmate Musae,
 Quae probet ingenij dona beata DEUS.
 Hinc nunc Conjugium sociae est Academia vitae,
 Qvod praesens aevi postulat usus, habet.
 5 Rite doce populum, coeli novisse Potentem:
 Disce domi curis invigilare pijs:
 Sic te coelestis, sic cura domestica ditat:
 Invenit et numeros vita beata suos.

deproperab.

M. SALOMON MATTHIAE,
S.S. Theol. P.P. et Pastor.

51. Adr: Martin Henschelius et Elisabetha Hein – Aut: Adrianus Verginius (cf. 48)

Tallinn SA, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

En Sponsas, pie Sponse, duas tibi provida copu-
lavit cura DEI: gratulor inde tibi.
Revaliae Christi quae sancta Ecclesia verbo
Colligitur, primam Sponsam ego dico tuam.
5 Altera Sponsa tua est pietate corusca puella,
Quam dat in amplexus lux hodierna tuos.
Exultans, Neonymphe, tuas, quas nactus es, orna
Sponsas, atque tui sis memor officij!
10 Exorna primam solando, monendo, docendo,
monstraturus ei quae sit ad astra via.
Gigne Ministerio Verbi ter mille fideles
CHRISTO filiolos filiolasque pias.
Dilige cordicitus Sponsam, vir docte, secundam,
quaque placere potes tu ratione place:
15 Instar et Isaaci cum illa ludendo jocare,
sic TIBI filiolos filiolasque dabit.
Tu DEus hasce duas qui junxti⁸² foedere Sponso
Sponsas, sis praesto gratia utrique tua!
Da Sponso vires ut sedulus ornamento
20 esse queat Sponsis, hisce praeesse diu;
Dirige Sponsarum sancto quoque Numine mentes,
ut Sponsum exhilarent debito amore suum,
Et tandem fidus cum Sponsa Sponsus utraque
Coelestis Patriae gaudia possideat!

Id quod congaudent Sponsis, de
corde precatur

Adrianus Verginius, Julino-
Pomeranus, Ecclesiae Nüggensis prope
Vrbem Dorpatum Pastor.

52. Adr: Martin Henschelius et Elisabetha Hein – Aut: Sigismundus Panphiliani (cf. 48)

Tallinn SA, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

Somnium Nuptiale.

*Vix aderant nuper fugiente crepuscula Phoebo
Stratorum lecto cum mea membra darem.
Vix aderat somnus, lassos qui stringit ocellos
Attulerat mihi dum somnia mira sopor.*
5 Heinschelij ante fores cito ceu vitis generosa
Succrevit vernans pulcra nitore, diu:
*Fructibus eximiis decoravit limina tecti,
Ac habita tori commoda multa tulit.
Ominis ignarus tanti, sortisque futurae,*

⁸² junxti SA metri causa

- 10 *Mirabar trutinans quid data signa velint?
Ast miranti aderat Vates mox forte peritus,
Explanans quidnam symbola visa darent.
Ecce, inquit, cernes, si crastina tempora lucis,
Heinschelius Sponsus, Sponsula vitis erit.*
- 15 *Vitis erit, repetens; nam pagina sacra Maritam
Appellat vitem fructibus eximiam.
Talia significans, tenues migravit in auras,
Symbola non linquens corporis ulla sui.
Haec igitur cum sint rata somnia, Sponse novelle,*
- 20 *Laetor, et optando vota secunda fero!
Pronube Christe, fave; sit ut haec conjunctio felix;
Quod voveo, hoc faveo, pectore, voce, fide.*

SIGISMVNDVS PANPHILIANI,
Lypnit. Moravus, p.t. Infor. Aulicus.

53. Adr: Martin Henschelius et Elisabetha Hein – Aut: Joachimus Rachelius (cf. 48)

Tallinn SA, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

- Diva pudoricolor, roseis Matuta labellis,
Cujus in aspectu non manet ipsa Venus:
Cui, simul exoreris timido stas pallida vultu
Cynthia, cui cedit Tyndaris ipsa loco:*
- 5 *Vis tibi te monstrem pulcerrima, nec Dea, pictam,
Nec speculo, constans quale ministrat aqua?
Non puto, non unquam facies tam lactea lacti est
Quam formae similis vivit ELIZA tuae.
Audiat hoc Titon, praesensque sit arbiter, at ne*
- 10 *Erret in amplexu conjugis, ipsa cave.
O fortunatum tota cui nocte dieque
Aurora hac dabitur nec recedente frui!
Ille Deum vitam accipiet, nomenque novellum
Quique erat HENSCHELIVS, nunc puto Gallus erit.*

Joachimus Rachelius

54. Adr: Martin Henschelius et Elisabetha Hein – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 48)

Tallinn SA, [Tartu UB]
EPITHALAMIUM

- Numen applaudit thalamis maritis:
Ardet Europe, ac Ariadna et Herse.
Vix Homo vitat Veneris recessus,
Gaudia laeta.*
- 5 *Docte et HENSCHELI, tua viscera ardent
HEINIA flamma? Venus o venusta
Extia succendit, Roseae genaeque
Lumina torquent.
Haud secus flagras domus ac superba; Et*
- 10 *Flagrat accendens velut ipsa Dido:
Flamma communis penetrat subitque
Pectora casta.
Pulcra nascentis medicina sortis;*

*Cum Sponsa Pylios Nestoreosque dies.
Vivite concordēs; Natos charosque Nepotes
Cernentes vestrum dulce levamen: Amen.*

Haec vobis Neonymphis
voveo et faveo ore
et corde
ANDREAS KOSCKUL
Jun. Nob.

57. Adr: Johannes Petri Kuuth – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio philosophica de anima rationali et eius facultatibus: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ ad diem 10. Julij. /.../ submittit Johannes Petri Kuuth, /.../ author et respondens. – Dorpati Livonorum, 1643: Typ. acad.) SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctissimo et Ornatiss. Dn. Respondenti.

JOANNES PETRI KUUTH:

Per Anagr.

PIO, TU CHRISTE, ANNVE.⁸⁵

Vsque PIO coepto, TV nunc, bonus ANNVE CHRISTE;
Sic labor in laudem desinet ille tuam.

LAVRENTIVS LVDENIVS, PH.
et J.V.D. Poët. C. Juris, Oratoriae
et Poës. P.P. ac p.t. R. Magnificus.

58. Adr: Johannes Petri Kuuth – Aut: Magnus Andreae Hööck (cf. 57) SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Unquam quid majus poteris tractare, JOHANNES?

Dignis unquam quid feceris hocce opere?

Dum munus narras anima ratione fruētis,

Ejus et officium dante labore notas.

5 *Evolvant alij vastissima climata Coeli,*

Inspiciant alij Sydera clara poli:

Scrutentur vastas terras, alij maris undas:

De gemmis alij dogmata pulcra ferant:

Observent alij virtutes soepe latentes

10 *Herbarum, Lapidum, Stirpis et arboreae.*

Tu majus miraris opus; scrutaris amice

Ipsam Animam, nullo tempore quae moritur.

Perge, ut coepisti, meditari scripta Sophorum:

Felix hoc studium nomen ad astra feret.

Ita gratulari voluit
Magnus Andreae **Höök** / O-Go-
thus, SS. Th. Studiosus.

59. Adr: Johannes Petri Kuuth – Aut: Jonas Pauli Spinckius (cf. 57) SKB, UUB, LAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

JOANNES PETRI CUUTH:

Per Anagr.

HIC TU RATIONE PENUS.

⁸⁵ Anagramma non recte constructum.

*Stirpe Hominum genitus, qui Humana indagine Mundum
 Illustrat: dat Magni et Parvi aenigmata Mundi:
 Mente dati tranat corpora clara poli,
 Lumina Coeli;*
 5 *Oceanum ingentem, flammae et telluris et aerae
 Scrutatur molem, et pendenti corpore Nubem;
 Fulva metallorum pondera, congeriem
 Maximam Aquarum.
 Gramina miratur, Cedrum, plantaria viva;*
 10 *Et pecus immensum, fraenorum et nescia bruta;
 Et Volucres, et qui piscis in amne natat
 Remige pinna.
 Tros Anchisiades, Italas res, in Clypeo ceu
 Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet;*
 15 *Laetitia ac Animae pectus imago replet
 Obvia solum:
 Sic TV, Iane, Dijs similem HIC RATIONE, age mentem
 Excutiens, animamque animo duce; jam PENVS auges;
 Nitore ubique ut et HIC TV RATIONE PENVS*
 20 *Fac locupletes.*

Amico amiciss. amice amando f.
 Jonas Pauli Spinckius,
 Bothniensis.

60. Adr: Johannes Petri Kuuth – Aut: Laurentius Ludenius (Prodigium mense Novembri, anno 1643. per Livoniam in coelo spectatorum virorum armatorum; nec non agminis viventium, et ab aquilone vento allatarum, ac ad propugnacula inclytæ civitatis Revaliensium, die 17. mensis ejusdem in nivem decidentium Muscarum; /.../ oratione metrica in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quæ Dorpati /.../ est /.../ die 19. Decemb. anno 1643. publice /.../ recitatum a Johanne Petri Kuuth, /.../ - Dorpati Livonorum, 1643: Lit. acad.) SKB, UUB, Växjö LB, EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.
 JOHANNES PETRI **KUUTH**
Per Anagr.
 EN, **KUUTH/** IN PIO TRAHES!

En o perge, PIO velut IN conamine pergis;
 INque PIO mentes omine reque TRAHES.

Quod app.
 Laurentius Ludenius, Ph. et
 J.U.D. ac P.P.

61. Adr: Johannes Petri Kuuth – Aut: Jacobus Columbus (cf. 60)

SKB, UUB, Växjö LB, EAB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Clangente festinat sonitu dies
 Optata Sanctis, sed Reprobis gravis;
 Qua Jesulus Sanctos Olympo
 Inseret, et Reprobos Avernos*
 5 *Natura monstrat prodigijs datis,
 Et praedicat miris valide modis
 Quod fabrica orbis defatiscat,
 In cineresque soluta vadat.*

10 *Dispallida fert Cynthia jam faces:*
Multum tenebrosis nebulis tegit
Clarumque vultum, lampademque
Phoebus abhinc nitidam reducit.
Immensa grandaevi vada Nerei
 15 *Diris procellis praelia concitant;*
Telluris eversae cavernae
Dant sonitumque tonumque tristem.
Auditur armatus superis chorus
In nubibus ferro truce dimicans;
 20 *Muscae advolant magnis catervis*
Ad Levones hyemem per ipsam.
Praenunciant serae sonitum tubae,
Qui conditos terra revocaverit.
Attolle cordis pulcre ocellos,
Nostra Redemptio jam propinquat.
 25 *Ergo ligato Prodigium stylo*
Dum das, JOHANNES, perplacidum facis
Cunctis opus, quod aggravatos
Sollicitudine sublevabit.
Apollo dexter te et Charites Deae
 30 *Tollant, futurum mox decus arduum.*
Urge perennes hinc labores,
Et patriae columen vigesce.

In felix omen apposuit
JACOBVS COLVMBVS.

62. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Laurentius Ludenius (In abitum /.../ Christophori Kühnii, Riga Livoni, Ph. et SS. Th. st. /.../ e Regia Universitate Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 17. Julij, anno 1643. in Germaniam euntis; quaevis fausta precantur Musae Embecciaedes. – Dorpati Livonorum, 1643: Lit. acad.)

EAB, [Tartu UB]

PROPEMPTICON

CHRISTOPHORVS CUHNIVS:

Per Anag.

HIC, PROH, CHORVS SIT VNVS!

I pede felici, quo te vocat ardua Virtus:

In vnitate munus,

HIC, PROH, CHORVS SIT VNVS.

Quod in felix ausp. s.
LAVRENTIVS LVDENIVS,
PH. et I.V.D. Poë. Cor. Prof. Ord.

63. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Andreas Sandhagen (cf. 62)

EAB, [Tartu UB]

PROPEMPTICON

5 *Angelico stipante choro feliciter ibat,*
Isaci soboles, fratris cum cederet irae.
Deduxit Comitem Raphaël, salvumque reduxit,
Reddens incolumem Matri charoque Parenti.
Felix Angelica pergas comitante caterva
KÜHNI: Te salvum ducat, salvumque reducat
Sancta cohors; quondam et Patriae Te reddat amatae!

Properante calamo l. mque scr.
 ANDREAS SANDHAGEN
 Northusanus, Histor. et Pol.
 Prof. Ord.

64. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Herman Schwemler (cf. 62)

EAB, [Tartu UB]
 PROPEMPTICON

Huc i vita, Salus, bonum perenne!
Huc i pax et amica Honora Amico,
Et nostrae Pieri⁸⁶ Vale loquentem,
Tandem condecorare perge, perge!
 5 *Pendantur lepido benigna Amico:*
Promantur lepido secunda Amico,
Franganturque nefanda fata Amico.
Cocytique quiescat unda Amico.
Haec dant vita, salus, bonum perenne:
 10 *Hoc i munere faustus, i redique.*

HERMANNVS S<w>emler.

65. Adr: Christophorus Kühnius– Aut: Sigismundus Panphiliani (cf. 62)

EAB, [Tartu UB]
 PROPEMPTICON

Mysis sacrate frater
Kühni, Boni character;
Cur Dorpticas amoenas
Relinquis has Camoenas,
 5 *Venustulas labellis,*
Ac blandulas ocellis,
Quae melle dulciores
Nardoque suaviores?
 10 *Quo tendis? ad Sorores,*
Apollinisque honores?
Pergas precor favente
Deo bono, ac volente
En comprecor trophaeon
Ut sit tibi brabeion.

Discedenti hac vovendo ad-
 posuit
 SIGISMVNDVS PANPHI-
 LIANI, Lupnicen. Moravus, p.t.
 Infor. Aul.

66. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 62)

EAB, [Tartu UB]
 PROPEMPTICON

Nostris Camaenis cum Valedixeris,
CÜHNI, premas quam, CHRISTOPHORE, orbitam,
Christum ferens in pectore? Audax
Nomine et omine mi videris,
 5 *Audax renides, dum Eusebiae vias*
Et rura linquens Thespiadum Chori,
In tesqua Sylvani gradum fers;
Dum Dryadesque colis Sorores,

⁸⁶ Pieri T : rectius Pieridi

10 *Audax renides, dum Aeolij maris*
Credis Gemellis vivida stamina:
Audax tumentes Filias pol
Qui Thetidos petis undulatas;
Sed Gratiarum es tactus amoribus
Flores legentum, et candida Lilia
 15 *Convallium, ac nectentium herbas*
Per Megalespoleos recessus.
Felix iter sit, faustus et ambules;
Structis corollis in Patriam redi
Christo paratum pectus; Audax
 20 *Nomine et omine perbeato.*

Quod animitus prec.
 NICOLAVS PSILANDER
 Smolandia Suecus.

67. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Joachimus Rachelius (cf. 62)

EAB, [Tartu UB]
 PROPEMPTICON

Suo Dn CHRISTOPHORO KVHNIO
cum Dorpato discessurus, publice de Praede-
stinatione disputares.

5 *Hoc hoc Athenas est adire Musicas,*
Hoc, si quid apte judicamus, est opus
Laboriosae mentis, atque industriae,
Non cymbia inter Persicasve amystides,
Aut helluosae congios Germaniae
Florem fugacis enecare temporis:
Non voce rauca provocare stentoras,
Non ense stricto vulnerare compita
Vrbis quieta civiumque limina:
 10 *Non ad duelli soevientis aleam*
Atroce vultu, mente penitus langvida
Iurare mortem vel sibi, vel alteri:
Non in latebra cum suburbanis lupis,
Rumore foedo, Patriae fastidio,
 15 *Ridente lippo, conscijs censoribus*
Jugulare famam, cumque fama quicquid est
Vsquam bonorum, et jura Clementis Dei.
Tibi cor est, Amice, mens, inquam, tibi est,
Amice KVHNI, tu modestior. Simul
 20 *Aurora roseis prodit e cubilibus:*
Cum se profundo Phaebus abdit aequore,
Haud in profanis abditus iaces sacris,
Sed illa summi verba scrutaris Dei
Contraque fatum Zinglianum disputas,
 25 *Domi quietus, publice miraculo.*
Hoc, hoc Athenas est adire Musicas,
Hoc, si quid apte judicamus, est pias:
Adire laudes, cumque laude sydera.

JOACHIMVS RACHELIVS

Dithmarsus.

68. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Jacobus Pinnerius (cf. 62)

EAB, [Tartu UB]
PROPEMPTICON

Dorpaticas Musas quia jam relinquare tentas,
 Altaque Teutoniae scandere tecta cupis:
 I bene, quo virtus tua te vocat, i pede fausto,
 Qua scatet Aonijs Varnus amoenus agris.
 5 Ito audax, positam quo possis prendere metam,
 Et patrios rursus sanus adire Lares.

Amoris fraterni ergo ita
 Gratulatur
 IACOBVS PINNERIVS
 Vngarus L.S.

69. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: I. J. Kirstenius (cf. 62)

EAB, [Tartu UB]
PROPEMPTICON

Carmen Propempticon
 Genere Dactylico.

*Planta velut tenuis, melius
 Discupis, alter ego, capere
 Augmina sub scrobe nunc alia
 Multa soli; Laribus placita
 5 Augmina sollicitae Patriae.
 Tempore jam gradiente ferax
 Planta novo melius sub agro
 Quaerit ali, docilis varia
 Reddere fruge sui cupidos.
 10 Sic tua mens amat in varias
 Latius ire plagas, alio
 Crescere laeta Solo cupiens,
 Plantula viribus haud proprijs
 Tollere se didicit: sed ope
 15 Vult olitoris agi solita.
 Tu proprio refugis Patrium
 Arbitrio variare solum:
 Cumque solo solium nitidae
 Pallados: imperat ipse Pater
 20 Dulcis abire sinu Patriae
 Vt redeuntis amat lepidos
 Plantula temporis articulos,
 Quos decoravit odoriferi
 Munere floris amor Zephyri:
 25 Hoc quoque vere novo Patriam
 Linquere quaeris Humum similis
 Arboribus, similis Platano
 Obsequiosa, precor, videas
 Vota manere novum subitae
 30 Insitionis opus! Videas
 Omine cuncta frui placito.*

*Plantula non timeat stimulos,
Mortis et interitum; rapidae
Invidia careat Boreae:
35 Sed valeat, vigeat, vireat.
Frugae DEVS meliore tuum
Ingenium, Geniumque beet.
Frugae beet meliore, suo
Quam merito veneretur Homo
40 Laudis honore, simul celebrans
Munere gratidicus meritis.
Qui sine frugae suos validi
Temporis articulus peragit,
Quomodo frugi HOMO, cui placeat?*

Sic vovet suo KÜHNIO
I. C. Kirstenius.

70. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: David Wehlanus (cf. 62)

EAB, [Tartu UB]
PROPEMPTICON

*Dorpatenses Musas dum tu nunc linquis, Amice,
Perfodit pectus nil nisi triste meum.
Indoleo sane quod tu discedere gestis,
Et pariter mecum turba novena gemit?
5 Ast dum fata volunt; bona verba precantia fundo:
Sit coeptum foelix prosperitate pia.
I pede foelici, quo te vocat optima virtus:
Per mare per terram sit data fausta via.
Sit comes Omnipotens Deus, est cui summa potestas;
10 Te quoque sperata conditione beet.*

Ita animo et calamo Amicum
suum concomitari voluit
DAVID WEHLA<>VS,⁸⁷
Spremerga Lusa<t>us.

71. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Laurentius Ludenius (Oratoriae ecclesiasticae delineatio: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 20. Decemb. anno 1643. /.../ disputationis exercitio, publice /.../ committetur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Christophoro Kühnio, /.../ - Dorpati Livonorum, 1643: Lit. acad.) EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Praestantissimo Dn. Respondenti.
CHRISTOPHORUS KÜHNIIUS:
Per Anagr.
PROH, KÜHNI, CHRISTO USUS!

*Sic PROH Delicium Eusebiae, Doctissime KÜHNI,
Tu CHRISTO et CHRISTI auxilio feliciter VSVS:
Et totus CHRISTO Studiorum militat VSVS.*

In felix omen app.
Laurentius Ludenius, Ph. et
J.U.D. ac P.P.

72. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Johannes Bruggemann (cf. 71)

EAB, [Tartu UB]

⁸⁷ Textus corruptus T : Wehlanus Jaanson 2000 nr. 491

GRATULATIO

Aonij fontis Soboles, tu carmina poscis:
Si possem, vellem scribere; Musa vetat.

Quare quod bene facundis alij arte precantur
Versibus, hoc trinis expediam ipse tibi:

5 Perge manu docta Doctorum volvere libros:
Magna dabit studij praemia, perge, labor.

Haecce paucula suo Fratri et Affini medullitus
dilecto app.

Johannes Brüggeman, Curl. Cand.

73. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Johannes Kerstens (cf. 71)

EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Avdes Tune iterum felix invisere Musas
Dorpaticas, reducesque iterum exantlare labores
Kühni? ut auspicio tentas; bona sunt nova, Sparta
Imminet in Patria tibi, ut opto; tu modo Musis*

5 *Invigila post hac, ut fecisti hactenus aequae:
Scit sacrum bene compensare Iehova laborem.*

Haecce suo Kühnio Fratri dilecto app.
Johannes Kerstens.

74. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Joachimus Rachelius (cf. 71)

EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Res est Concio nullius laboris,
Inquis Marcule, quando tu libellos
Hinc illinc petis, et labore nullo
Pantheram catulo, histricem leone,
5 Muscam Rhinocerote, lynce talpam,
Diversissima pessime maritas,
Et coram populo supina tollis
Ora, stentoreo fremens boatu.
Quin tu perlegis hancce *Kühnianam*,
10 O mi Marcule, Disputationem?
Quin tu, quod jubet Author, ipse tentas?
Aut sim pessimus omnium ipse, vel tu
Facundissimus omnium Magister,
Ni mecum steteris, beatiore
15 Dicens iudicio: Bene est, *Racheli*
Res est Concio maximi laboris.

Joachimus Rachelius, Dithmarsus.

75. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Christophorus Kirstenius (cf. 71)

EAB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Qui gaudes caput ingenuas efferre per artes,
KÜHNI, Musarum gratia, jugis Amor:
Japeti audaci prognatus stemmate prisco es,
Ut video, tentas ire redire viam.
5 Audes audacter nostris valedicere Musis,
Audes audacter rursus adire Deas.
Ipse Redux ornare novo conamine Musas
Incipis, hic sacris invigilas thesibus.

10 Audes; rite Dei verbum inculcare popello:
Ardua res vere est, et pietatis opus.
Audentem laudo; audenti, sine fine Jehova
Vendidit atque dedit cuncta labore bona.

Joh. Christophorus Kirstenius, LL. Stud.

76. Adr: Christophorus Kühnius – Aut: Philippus Halbach (cf. 71)

EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Sic est Orator gratus, qui candida veri
Argumenta docet, qui facienda facit!
Fungeris officio, KÜHNI, Oratoris amici,
Ut labor ipse docet, Palladiumque probat.
5 I bene, quo sanctae ducit Facundia lingvae,
Et crescat Christi gloria, laus et honor.

Philippus **Halbach** / Rostoch.

77. Adr: Matthaeus Liebeheer – Aut: Andreas Sandhagen (Disputatio de speciebus reipublicae, quam /.../ in Academia Gustaviana praeside /.../ Andrea Sandhagen, /.../ disputationi subjicit ad diem < > Junij /.../ aut. et resp. Matthaeus Liebeheer, /.../ - Dorpati Livonorum, 1643: Typ. acad.)

LAB, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Ad
DN. RESPONDENTEM
de Speciebus Reipublicae
disputantem
ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΕΙΣ.

Littora ubi Levonum felice *Philostratus* aura
Attigerat, vidit Mars, et sic protinus infit:
Hic meus est, ni forte gerat nullo omine Nomen.
Audijt excelsi Dux hoc Heliconis; et Erras,
5 Frater, ait: *Meus est*; dudum mea castra seqvutus
Strenuus expectat miles dehinc justa brabea.
Nec mora; ne nudis Martem superaret Apollo
Verbis, ipse adest, meditata *Philostratus* arte
Subjiciens oculis clarorum effata Sophorum,
10 Qui regere imperio populos docuere per orbem.
Hiscere non audet Mars contra: at Phoebus alumno
Praemia digna parat: quod idem voluere Camoenae.

Conatum Amico gratulatus
scr.

ANDREAS **SANDHA-**
GEN Disput. Praeses.

78. Adr: Matthaeus Liebeheer – Aut: Adrianus Verginius (cf. 77)

LAB, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Arte et Marte sibi Juvenis-vir semper honorem
Et laudem summam conciliare potest.
Arte et Marte chuit noster Matthaeus amicus:
Hinc ipsi accrescit gloria, laus et honor.
5 Hunc Vrbs Riga colit, laudant Dorpatica tecta:
Gratulor ergo illi, faustaque cuncta precor.*

*Quo pede coepisti pergas, rogo, dulcis amice,
Gaudebunt fratres, patria, chara parens.*

Festinanter apponebat
ADRIANUS VERGINIUS Julino-
Pomeranus, Ecclesiae Nuggensis prope
Dorpat. Past. et Facult. Th. Adjunct.

79. Adr: Matthaëus Liebeheer – Aut: Jodocus Andreas Hildebrandt (cf. 76) LAB, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Prisci quod memorant fasti, quod foedera legum;
Civicus hoc codex ad sua sana citat.
Illius elato hinc surgit praestantia vultu,
Namque in se quicquid possidet Orbis, habet.
5 Ex haec materiem rerum farragine captas,
Et genij vires promissis, *Amice*, Tui.
Quid sit enim, ac quo^{plex} facit hic Moderaminis ordo
Catholici, compta suaviter ore refers.
O felix animi, solers qui talia versas,
10 Omnigena quae Te cognitione beant.
Sic juvat aethereos contingere vertice montes.
Nomen et a pigro dissociare solo.

Testandi amoris et benevolentiae ergo
Amico suo svavissimo accinebat
Jodocus Andreas **Hildebrandt** /
Philiater.

80. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Petrus Ludenius (De viro practico, deque mediis ad vitam practicam deducendis liber; quem, /.../ in Regia Universitate Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ eruditiss. iuvenibus, practicarumque rerum studiosissimis, /.../ publicis disquisitionibus ad disputandum proponebat Laurentius Ludenius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1643: Typ. acad.)

SKB, H, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Clarissimo et Consultissimo Viro
DN. LAVRENTIO LVDENIO, PH. et J. V. D.
Poë. Cor. et in Regia GUSTAVIANA-
ADOLPHINA Professori Celeberrimo.

Eynomiae et Sophiae Doctor, Divine Poëta,
Delicium patrij, Frater amande, soli!
Dante Deo, cito vitales suscepit auras
Egregio felix PRACTICUS ingenio!
5 Scilicet in CHRISTO factus novus, atque vetusta
Carne illa exutus, vivet ubique Deo.
Vivet ubique Sibi; Virtutis robore pollens
Vivet ubique Pijs; vivet ubique Probis.
I bene, coelestis quo te Sapiencia ducit;
10 Vivemus CHRISTO tempus in omne Deo.
Vivemus Nobis, Nostris, Nostratibus aequae:
Et quam vivemus Vita perennis erit.

Ita Fratri suo Eminentissimo acc.
PETRUS LVDENIVS, Pastor Ecclesiae Christi in
Weddingståde / Borealis Dithmarsiae Superint.
et Protosynedrij Holsatici Adessor.

81. Adr: Laurentius Ludenius – Aut: Melchior Ludenius (cf.80) SKB, H, EAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Virtutis Vera custos, rigidusque satelles
PRACTICVS, ut scripta candidiore doces,
Adversis probitas placidisque exercita rebus,
Omni materiam tempore laudis habet.
5 *Aevi vive Decus, Charitum Flos: vixerit aequam*
Vsque tuis vitam PRACTICVS auspicijs.

Quod Germano suo Colendiss. sc.
MELCHIOR LUDENIUS, Pastor
Heidae Dithmarsorum.

82. Adr: Andreas Megalinus – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio physica de natura, quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae est Dorpati /.../ sub praesidio /.../ Johannis Erici Stregnensis, /.../ pro summo in philosophia gradu consequendo publicae ventilationi subijcit Andreas Megalinus Agundaydensis, /.../ ad diem <> Septemb. /.../ - Dorpati Livonorum, 1643: Typ. acad.)

SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Praestantissimo Dn. Respondenti.
ANDREAS MEGALINUS:
Per Anagr.
ARDENS, MAGNA VELIS!

ARDENS, MAGNA VELIS! Dixi dicenda. Jehova
Auspice, sit felix Nomen et Omen. Habes.

In felix Auspicium sc.
LAURENTIUS LUDENIUS, PH. et J.U.
D. ac Prof. pro t. R.

83. Adr: Andreas Megalinus – Aut: Andreas Virginius (cf. 82) SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Vernales si non flores produxerit arbos,
Non autumnali foenore dives erit.
Fallor: an et primis nisi se quis credit ab annis
Musis, haud fructus sera senecta feret?
5 *Conatus, MEGALINE, tuus pro tempore testis;*
A pueris Musas excolis ingenuas.
Hinc te jam juvenem statuit decorare Minerva
Immarscibili frondis honore novae.
Gratulor inde tibi, et voveo bona multa senectae:
10 *Hinc Christo et Musis vive vireque diu!*

Sic gratulabatur
ANDREAS VIRGINIVS,
D. et P.P.

84. Adr: Andreas Megalinus – Aut: Ingemar Petri Smetander (cf. 82) SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Qvem Natura sagax voluit sua limina adire,
Moribus vita finxit amabiliter:
Et quem formarunt magni infractique labores:
Is referet quondam digna brabeja Viro.
5 Macte animis! tanto conamine macte! Bonum sit

Quod Natura, et Mos, et labor ipse dedit.

In felix auspiciū sc. ab
Ingemaro Petri Smetandro,
Westro Gotho.

85. ADR: Andreas Megalinus – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 82)

SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

ANDREAS MEGALINVS:
Ἀναγράμ.
RES MAGNA; INDE LAVS.

RES MAGNA est Heliconiadum conscendere muros!
INDE tibi Laurus, LAUSque beata manet.

Gratulabundus adj.
Nicolaus Psilander.

86. ADR: Andreas Megalinus – Aut: Petrus Johannis Angelstadius (cf. 82)

SKB, UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Ut bene certanti dantur sperata brabeja;
Ac ornat fortem parta corona virum:
Sic modo; sit faustum et felix; MEGALINVS honores
Acceptat, spondet quos pia Musa pijs.
5 *In Patriam tendit, Patriae sit clarus alumnus,*
Pieridum vireat gloria prima diu.
Sit Christo charus, charusque parentibus aequis,
Et studio prosit dexteriore bonis.

Sympatriotae et Contubernali suo Svaviss.
ita gratulatur
Petrus Johannis Angelstadius,
Smol. Svecus.

87. ADR: Petrus L. Schonbergius – Aut: Johannes Erici Stregnensis (Disputatio physico-astronomica de stellis; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati est /.../ 22. Aprilis, anno 1642. /.../ publice /.../ praeside /.../ Johanne Erici Stregnensi, /.../ proponit Petrus L. Schonbergius, /.../ - Dorpati Livonorum, 1643: Typ. acad.)

SKB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Humanissimo et Doctissimo Juveni, Dn.
PETRO LAURENTII SCHON-
BERGIO, thesium harum Authori, ita
gratulari volui.

PETRE, Novenarum pulcerrima Fama Sororum,
Vraniae Soboles ingeniosa Sacrae:
Sic, velut Arctophylax, Telum, Cepheusque, Lyraeque,
Exornent Coelum mente docente refers:
5 *Saturnus, Sol, Luna, Venus, Mars, Juppiter, Hermes,*
Vt flectant cursus re meliore doces.
Gratulor ingenio, mihi toto gaudeo sensu;
Fata precor votis candidiora tuis.
Perge Poli summi pulcros numerare recessus,
10 *Et nomen Coelis re potiore notas.*

M. Johannes E. Stregnensis,
Astronom. et Phys. P.P.

88. Adr: Petrus L. Schonbergius – Aut: Andreas Laurentii Flojerus (cf. 87) SKB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

O PETRE dulcis fonticularum Amor,
Tu Alumne Phoebi, Pieridumque flos
Non quaeris uvas nunc opimas
Sardiniae⁸⁸ segetis feracis:
5 Non aestuosae grata Calabriae
Armenta, non aurum, aut ebur Indicum,
Non rura quae Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.
Sed quaeritas encomia candida
10 Laudis, pia almi munera Apollinis,
Motumque stellarum micantem,
Sidera coetera rite monstras;
O perge Frater, Pegasidum chorus
Plantae tuae Talaria et induat
15 Hinc te Tagi pingatque Phoebus
Auricoloribus Ecce lymphis.

Animitus gratul.
Andreas Laurentij Flojerus.
Smol.

89. Adr: Benedictus Jonae Schreberg – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio in salutiferam Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi nativitatem: quae /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ 25. Decembris. anno 1642. publice /.../ habebatur a Benedicto Jonae Schrebergio, /.../ - Dorpati, 1643: Typ. acad.) SKB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.
BENEDICTUS JONAE SCHREBERGIUS;
Per Anagr.
NAE, CHRISTE, UBI BENEDICES, SURGO.

*CHRISTE, VBI tu studijs BENEDICES, NAE bene SVRGO:
O BENEDIC studijs, JESVLE CHRISTE, meis.*

In felix omen ap.
LAVRENTIVS LVDENIVS,
I.V.D. et Prof.

90. Adr: Benedictus Jonae Schreberg – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 89) SKB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Cunctas licet Deus crearit umbras et
Luces; Diem tamen micantibus cunis
Christi sacratum, singulariter fecit.
Est Hosti ademptum jus, Salusque facta orbis
5 Quo convenit, moeror pium ut relaxetur.
Attentior quod dum revolvit et versas
Oratione, SCHREBERGI, probe compta
Satisfacis festo; Pio Choro Calcar
Dans pensitandi mente Gratijs plena*

⁸⁸ *Sardaniae* edd : *Sardiniae* corr imitationis causa

- 10 *Quae orbi tulit Christus bona. Haec recens nato
JESU placent; Et laude digna censentur.*

Quae pauca gratulanda subscripsi
Nicolaus Psilander

91. Adr: Jacobus Andreae Tyblaeus – Aut: Laurentius Ludenius (In salutiferam nativitatem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, oratio, quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ 25. Dec. anno 1643. /.../ publice /.../ enarrabat Jacobus Andreae Tyblaeus, /.../ - Dorpati, 1643: Lit. acad.) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctissimo Dn. Peroranti.
JACOBUS ANDREAE THYBLAEUS:
Per Anagr.
I DEO CARUS, UT HYBLAEA BEANS.

*Usque DEO I CARVS: Christo Duce et Auspice Christo,
Sis HYBLAEA BEANS VT apis! Tu I sidere fausto.*

Quod in felix omen app.
Laurentius Ludenius Ph. et
J.U.D. ac P.P.

92. Adr: Jacobus Andreae Tyblaeus – Aut: Johannes Petri Kuuth (cf. 91) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

- Laeta dies oritur, castae qua matris ab aluo
Christus, sub forma paupere, natus homo est.
Scilicet ut veteris solvens contagia culpae,
Justitiae certas traderet ipse vias:*
5 *Et mortale genus revocans e faucibus Orci
Deleret meritis crimina nostra suis.
Hanc celebrare, JACOBEE, pio te carmine lucem
Convenit, et sacra digna referre die.
Non haec Piërides dictant, non fautor Apollo,*
10 *Non haec Castaliae suggerit humor aquae:
Sed Pater Omnipotens, et lucida Patris Imago
Natus, et amborum Gratia dulcis Amor.
Dulcis Amor, divumque potens hominumque voluptas
Qui regit afflatu pectora casta suo.*
15 *Perge igitur: coeptis, mi dilectissime Amice,
Suda: Sic studium Numina sancta beant.*

Φιλίας ἔνεκα ἔγραψε
Johannes Petri **Kuuth** /
Sudermannus.

93. Adr: Jacobus Andreae Tyblaeus – Aut: Petrus Andreae Falck (cf. 91) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

- Ingenium monstras, Musarum candide Cultor,
O TYBLAEAE tuum, dum sacra facta canis.
Inquis: quod Medicus noster vitaeque Magister
Coelitus exoritur, Virgine natus Homo:
5 Usque tuis faveat coeptis Salvator Jësus,
Sacro sic studio praemia digna feres.

Quod in felix omen vovebat
Petrus Andreae **Falck** /

Sudermannia-Svecus.

94. Adr: Jacobus Andreae Tyblaeus – Aut: Andreas Arvidi Stregnensis (cf. 91)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Sanctus qui relegit magno fervore Camoenas,
Non ripae steriles is vomere sulcat arenas;
Sed segetum pingves cito carpit laetus aristas,
Et cumulat facili Thesaurum sorte perennem.*

5 *Mente igitur laeta gaude simul atque triumpham,
Quando, Jacobe, legis pulchro conamine sacra.
Incoeptis studiis his sic incumbere perge,
Quo valeas sanctis conatibus ire per alta.*

Amoris testificandi gratia scribebat
Andreas Arvidi Stregnensis,
Sudermannia-Svecus.

95. Adr: Petrus Caroli Undenius – Aut: Johannes Erici Stregnensis (Disputatio de natura et constitutione scientiae naturalis; quam /.../ in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ praeside /.../ Johanne Erici Stregnensi, /.../ publicae ventilationi submittebat Petrus Caroli Undenius, /.../ author et respondens. /.../ ad diem 3. Iunij, /.../ - Dorpati Livonorum, 1643: Typ. acad.)

SKB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Praestantissimo et Doctissimo Viro-Juveni,
Dn. PETRO CAROLI VNDENIO, Thesium
harum Authori et defensori, ita gratulari volui.*

*Et rerum causas, et quae Natura doceret,
Doctis tu thesibus, candide Petre, doces.
Perge, velut pergis. Naturae docta latentis
Commoda, discretis explicuisse modis:*

5 *Perge, decus pulcrum est Physices proponere leges,
Et Deus ut mundi temperet arte domum.*

M. JOHANNES ERICI Streg.
Astronom. et physic. Prof. pub.

96. Adr: Petrus Caroli Undenius – Aut: Andreas Koschull Junior (cf. 95)

SKB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*PETRVS CAROLI VNDENIVS:
Per Anagr.
INDE PVTO LVCRANS VIRES.*

*Ubera Castalidum sugis Doctissime Petre,
Es LUCRANS VIRES INDE subinde PUTO.
Quippe pio versas dum tu conamine libros,
Egregios fructus Phoebus Apollo dabit.*

5 *Perge igitur felix Physices cognoscere causas
Contemplans, totus quicquid hic orbis habet.*

Haec amoris et honoris ergo apposuit
Andreas **Koßchull** / Junior
Nobilis.

1. Adr: Tholetus Arvikander – Aut: Gustavus Olai <Gulsteen> (Disputatio theologica in caput nonum a v. 24 usque ad finem, D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Tholetto Arvikandro, /.../ die <13.>⁸⁹ Decembr. anni 1644. – Dorpati Livonorum, 1644: J. Vogelius.)

SKB, Växjö LB, Karlstadt StB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Praestantiss. Dn. Respondenti.

Quid tibi dicam, Patriota chare,
Sancta dum tractas documenta Jovae
Regis Astrorum? peragis probandum,
Praeside Claro.

5 Hoc tibi dicam: studiis, ut ante
Perge proporro vigilare amoenis;
Charus et nobis eris et Jehovahae, et
Charus Amicis.

GUSTAVUS OLAI G. Wermelandus.

2. Adr: Tholetus Arvikander – Aut: Jonas Johannis Scarensis (cf. 1)

SKB, Växjö LB, Karlstadt StB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

THOLETUS ARVICHANDER:
ἀναγραμματιζόμενος.
CHARA REDOLENT, THUS VI!

Semper CHARA quidem REDOLENT, bene olentia late:
Et propria redolet THUS VI, virtuteque tota
Vincit, quae gignunt saltus campique patentes;
Omnibus est gratum, gratum quia spargit odorem.
5 Sic quoque salvifici superant Mystera Verbi
Omnia, quae gremio comprehendit Machina mundi,
Unica cum nostrae sint haec Cynosura Salutis
Hinc opus aggredieris magnum, Perdocte THOLETE,
Docte quod versas rerum monumenta Sacrarum.
10 Perge, velut pergis, Studij hoc in tramite coepto,
Praemia sollicito capies hoc digna labore.

JONAS JOHANNIS SCARENSIS.

3. Adr: Tholetus Arvikander – Aut: Laurentius E. Emzelius (cf. 1)

SKB, Växjö LB, Karlstadt StB, LAB, [Tartu UB]
GRATULATIO

THOLETUS THOLETI ARVICANDER:
Per Anagr.
HIC LATET HONOR, USU ALTE REDIT.

Qui LATET HIC modo HONOR, crebro REDIT ortus ab USU,
Et beat eximiae laudis honore virum.
Et tu dum Christi miracula spargere nisu

⁸⁹ calamo additum R

Jam pergis; felix ALTE HONOR inde REDIT.

LAURENTIUS E. EMZELIUS, W. Gothia Svecus.

4. Adr: Christina – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. assertoris justitiae, /.../ Gustavi Adolphi, /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis, /.../ parentatione anniversaria, in Regia Gustaviana Adolphina Academia, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris Anno 1644. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../ Dorpati, 1644: J. Vogel)⁹⁰ SKB, UUB, H, [Tartu UB]

Serenissimae et Potentissimae Principi
DN. CHRISTINAE,
Dei Gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginae, ac Principi Haereditariae; Magnae Principi Finlandiae; Duci Esthoniae et Careliae; Dominae Ingriae; etc.
Victrici, Piae, Felici, Augustae, etc.
Vitam, Incolumitatem et Felicitatem p.p.

PATRIS, et aequaevae SOBOLIS, FLATUSque SACRATI
ANNUAT aeterna PACE perennis AMOR!
Est DEA dicta CHARIS, Natura mitis et Annis,
PACIS amans, Orbis deliciosa CHARIS.

CHRISTINA,
REGINA SVECIAE:
Per Anagr.
CHARIS
IN REGNA IT SVECIAE.

5 *Sancta CHARIS, CHRISTINA CHARIS; Regina Serena*
IN REGNA IT SVEONUM deveneranda CHARIS.
Est Pater Illustris Phoenix in Prole renatus:
AdVeniat, Videat, Vincat amica CHARIS!

SS. Reg. Maj. Symbolum:
CHRISTUS REFUGIUM SUORUM.

10 *Nam RE conFUGIUM REGINAE CHRISTUS: ab alto*
Irradians, complens Regia Corda, VIGOR.
CHRISTUS, Numen, Honos, nitidissima Vita SUORUM:
Arctoi Regni Lux, Sator, alma salus!
Salve, Sancta CHARIS! Salve, REGINA! IEHOVA
Auspice, sis regni deliciosa CHARIS.

Dominae et Reginae suae Clementissimae,
Humilime.

5. Adr: Christianus Clocovius – Aut: Laurentius Ludenius (Disputatio juridica de rerum divisionibus, et acquirendo ipsarum dominio: quae, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 27. Janu. anno 1644. publice /.../ disputationis exercitio committebatur, praeside Laurentio Ludenio, /.../ respondente Christiano Clocovio, /.../ - Dorpati, 1644: Lit. acad.)

⁹⁰ Idem 1636.14; 1643.21; 1645.13; 1646.4; 1647.17; 1648.13; 1649.16. Cf. 1641.11; 1642.22-24; 1643.19-21; 1648.12.

UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctiss. et Humaniss. Dn. Respondenti.
CHRISTIANUS CLOCOVIUS.
Per Anagr.
CHRISTO UNI VISUS, CALCO.

CHRISTO UNI VISUS, Christo gratissimus hospes,
Legitimo Themidos tramite CALCO vias.

In felix omen app.
LAURENTIUS LUDENIUS,
Ph. et J.U.D, ac P.P.

6. Adr: Christianus Clocovius – Aut: Johannes Christophorus Kirstenius (cf. 5) UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Ingenuum ingenium monstras, CHISTJANE CLOCOVI,
Juridice pergis dum vigilare choro.
Ingenua enarrat Themis; Acquisitio quae sit:
Perge; Themis ponit dia brabea viris.

Sic adproperabat suo Clocovio
Johan. Christophorus Kirstenius, Siles.

7. Adr: Christianus Clocovius – Aut: Philippus Halbach (cf. 5) UUB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Legitimis cumulare modis pulcerrima rerum
Commoda, sic scripto candidiore doces.
Perge; aequa bene divitias cumulaveris arte;
Atque labore tuo digna brabea feres.

Amico suo suaviss. apposuit
Philippus **Halbach** / Rostoch.
SS. Theol. Stud.

8. Adr: Jacobus Petri Columbus – Aut: Laurentius Ludenius (In salutiferam nativitatem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, oratio metrica: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 25. Dec. anno 1643. publice et memoriter /.../ enarrat Jacobus Petri Columbus. – Dorpati, 1644: Lit. acad.) SKB, [Tartu UB]
GRATULATIO

Praetantiss. Dn. Peroranti
JACOBO COLUMBO.

Vita Columbinis sit moribus aucta! Columba
Felle caret; rostro laedere nescit aves:
Innocuos profert ungues: purissima pulcre
Grana legit: puras flumine libat aquas:
5 *Consortem quaerit coetum: loca tuta volatu*
Intrat: progeniem nutrit amatque suam.
Annuat Omnipotens: et tu, dilecte COLUMBE,
Usque Columbinis moribus auctus eris.

Quod felix auspiciis app.
Laurentius Ludenius,
Ph. et J.U.D. P.P.

9. Adr: Jacobus Petri Columbus – Aut: Jonas Johannis Scarensis (cf. 8) SKB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Secretum magnum; fugiens Rationis acumen;
Ad quod hebet oculi; Cor tremit; Ora silent:
Scilicet e celso descendens Culmine Coeli
Assumpsit Christus debile carnis onus.*
5 *Arcanum tantum tu pandis, docte COLVMBE,
Dextreque enarras Carmine dulcisono.
Perge, velut pergis, mysteria plura revolve
Atque solo patrio deliciosus eris.*

Amicitiae et honoris ergo deproperabat
Jonas Johannis Scarensis,
Svecus.

10. Adr: Petrus Andreae Falck – Aut: Johannes Erii Stregnensis (Oratio in salutiferam passionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die Parasceves, anno 1644. publice /.../ enarrabat Petrus Andreae Falck, /.../ - Dorpati, <1644>: J. Vogelius.) SKB, UUB (def), H, LNB (def), [Tartu UB]

GRATULATIO

*Doctrina et Moribus Politissimo
Dn. PERORANTI.*

*Omnibus innata est primorum noxa Parentum;
Atque fluit vitae quotidiana lues.
Sed DEVS in Dominum coniecit crimina CHRISTVM,
Ille tulit nostro tristia fata loco.*
5 *Ille tulit tota nostros ratione dolores,
Sanavit plagis vulnera nostra suis.
Felix, qui Christi meditaris, PETRE, labores;
Sanguis enim Christi crimina nostra lavat.*

Honoris Ergo app.
M. Johannis Erii Stregnensis,
Astronom. et Phys. Profess. pub.
et p. t. Rector Magnificus.

11. Adr: Petrus Andreae Falck – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 10)

SKB, UUB (def), H, LNB (def), [Tartu UB]
GRATULATIO

PETRUS ANDREAE Falck:
Per Anagr.
AC TV PERFER KALENDAS!

AC TV difficiles bene PERFER, PETRE, KALENDAS!
Est Pastor CHRISTUS, linquere nescit oves.
Exanimi conceduntur sua Sabbata CHRISTO,
Donec et inferni vis superata ruat.

Quod in felix omen app.
Laurentius Ludenius, Ph. et J.V.D.
Profess. publ.

12. Adr: Petrus Andreae Falck – Aut: Jacobus Tyblaeus (cf. 10)

SKB, UUB (def), H, LNB (def), [Tartu UB]
GRATULATIO

Excolis ingenium, PETRE; Sancti dogmata Verbi

*Eloqueris genij candidiore stylo.
Artibus eximiis pulcri acquiruntur honores,
Atque favet studiis sancta Minerva sacris.*

5 *Ergo ne cesses sacros tractare labores:
Accipies studiis digna brabea tuis.*

εἰς φιλαδελφίαν ὑποβάλλει
Jacobus Tyblaeus,
Sudermannus.

13. Adr: Andreas Laurentii Floierus – Aut: Petrus Schonbergius (In octo libros Physic. Aristot. περὶ τῆς φυσικῆς ἀκρόασεως, sive de naturali auscultatione disputatio duodecima, continens nobiliores notas et quaestiones cap. 2. lib. 2 a text. 16. usque ad finem cap. quam in Regia Academia Dorpatensi /.../ proponit et publicae disputationi subjicit /.../ Johannes Eriici Stregnensis, /.../ respondente Andrea Laurentii Floiero, /.../ die <> Feb. 1644. – Dorpati Livonorum, 1644: Lit. acad.)

H, [Tartu UB]
GRATULATIO

Humanissimo et Doctissimo Juveni,

Dn. Respondenti.

Τῆς φιλίας ἀδελφικῆς ἔνεκα, ita gratulari voluit.

ANDREAS FLOIERUS:
Ἄναγραμματοζόμενος.
SANA RE DIU FLORES.

*Ductum nomen habes, Graeco de nomine Φλοιός;
Arboream crustam cujus origo, notat.
Arboris haud Φλοιόν, verum dulcem ipse medullam,
Scriptorum evolvis, sedulus arte Σοφῶν.*

5 *Quando a natura vis quod dependeat omnis
Passio et actio, quam concumulata fovent.*

*Spero; DIV SANA RE FLORES: Auspice Christo,
Ut bene coepisti, perpete perge pede;*

10 *Et tandem durae superato pondere molis,
Phoebus condigno, tempora FLORE premet.*

Petrus Schonbergius,
Ostrogothus.

14. Adr: Andreas Laurentii Floierus – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 13)

H, [Tartu UB]
GRATULATIO

ANDREAS FLOIERUS:
Ἄναγρ.
IN LAUDE FER ROSAS.

*FLOS Embecciadum Florens, Flojere; venustas
IN Genij atque artis LAUDE FER usque ROSAS.*

Infucati amoris E.
app. app.
Nicolaus Psilander.

15. Adr: Gustav Adolph – Aut: Laurentius Ludenius (Immortalitas D. assertoris justitiae, /.../ Gustavi Adolphi, /.../ Svecorum, Gothorum, Vandalorumque regis, /.../ parentatione anniversaria, in Regia Academia Gustaviana, quae Dorpati /.../ est /.../ die 6. Novembris Anno 1644. /.../ aeternitati consecrata a Laurentio Ludenio, /.../ - Dorpati, 1644: J. Vogel.)⁹¹ SKB, UUB, H, [Tartu UB]

⁹¹ Idem 1636.25; 1643.46-47; 1645.47; 1646.19; 1647.37; 1648.25; 1649.22.

REX
GUSTAVUS
ADOLPHUS.

Per Anagramma;

REX
AUGUSTUS
HAS DUPLO.

SS. Reg. Maj. tis Symbolum:
CUM DEO ET VICTRICIBUS ARMIS.

*Gratia, Christe, tua est; Patriae Civemque Patremque
Quod gero, Res Sancti curo quod Imperij.*

*Gratia, Christe, tua est; quod Res Victricibus Armis
HAS REX AVGVSTVS conduplicando DVPLO.*

5 *Christo Dante, mea Phoenix in Prole renatus
Vivo: Deo Vivat Regia Progenies!*

16. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Andreas Virginius (In /.../ obitum ac abitum /.../ Petri Arvidi Guthemii, Westro-Gothi, ecclesiae Svecanae, quae Rigae ad D. Jacobi colligitur, pastoris /.../ districtus Rigensis praepositi /.../ nec non proto-synedrij Dorpatensis adsectoris /.../ die 21. Decemb. anno 1644. /.../ Rigae denati; ibique 29. die mensis ejusdem, sepulchro, quod est in aede D. Jacobi, /.../ illati; /.../ decantabant Musae Embecciaedes. – Dorpati Livonorum, <1644>: J. Vogelius.)

SKB, [UUB], [Tartu UB]
EPICIDIUM

*Invida Guthemium sic mors nostro abstulit aevo,
Et gelida o Rigae condidit ossa Solo!
Eusebiae et Christo vixit: bene charus Amicis,
Vixit et ingenio nobile delictum.*

5 *Sanctum Evangelium fuit ardua cura docere,
Atque fateri aequo Salvificam ore Fidem.
Inde coronatus coelestia praemia captat,
Et nova coelestis gaudia Civis habet.*

Ex animo vere concolenti
scripsit
Andreas Virginius, Theol. D.
et Profess.

17. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Henricus Hein (cf. 16)

SKB, [UUB], [Tartu UB]
EPICIDIUM

*O gravis! O insperati tristissima luctus
Fama! quid audimus? quid Libitina jubet?
Mystarum Antistes, Divini dogmate Verbi
Christicolum pascens erudiensque gregem*
5 *Concidit ante diem noster GVTHEIMIVS, hic qui
Sacri Concilij firma medela fuit.
Qui pietate flagrans, et relligionis amore
Tempora vel Pylij vivere dignus erat.
Prisca fides, Candorque pius cui corde sedebant,*
10 *Et bona simplicitas, heu dolor, occubuit!*

*Plangunt hunc Vxor, Gnati, Gnataeque, Generque,
 Collega o cordis pars peramica mei!
 O praematuri cineres! O funera cruda!
 Quam miserae est omnis conditionis homo!*
 15 *Nascimur in fletu, fletu traducimus aevum,
 Et nostrum in terris esse, fuisse parum est:
 Solvimur ut nebulae, surgensque per aëra fumus;
 Effugiunt nostri, ceu levis hora, dies.
 Nulla ergo in tanto restant solatia luctu?*
 20 *Nulla medela solo, multa medela polo.
 Huc animum, huc oculos: Haec est Dei amica voluntas,
 Cor patrium, Os verax, omnipotensque Manus.
 Non lachrymare decet, tuta haec quod janua mortis,
 Ad Superos aditum qua facit hora brevis.*
 25 *ARVIDIVS qua nunc super arva astrata locatus
 In Patriam Gutheim transiit hincce bonam.
 Foelix, in Christo qui claudit fata suprema:
 Christus ubi est, in eo mors nequit esse loco.*

Debitae consolentiae ergo
 scripsit
 Henricus Hein, U. J. D.
 et Professor.

18. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Laurentius Ludenius (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

PETRUS ARVIDI GUTHEMIUS:

Per Anag.

SPE VIGUI, DUM RE TU TRAHIS.

SPE VIGUI; Pie CHRISTE, fuit sitibunda Salutis
 Spes mea, DUM RE TU TRAHIS ad rata gaudia Vitae!
 Te dante, en Gothicae prognatus origine Gentis;
 In **Gudheim** pater ARVIDUS, DOMINI acer Alumnus
 5 Per populos spargens Divini Numinis haustus:
 Foemineumque decus CHRISTINA HALEVVARDZIA Mater;
 Quae me cum primum sub lucis traderet auras,
 TU das, Christe, pias intra mea pectora dotes.
 Das, Pater et Mater puerili in corde latentes
 10 Suscitet igniculos Virtutum et semina Veri.
 Addis Cultores animi morumque Magistros;
 Me Scarensis, item Schola Stockholmensis Alumnum
 Accipit, et pulcrum Genij dat quaerere cultum.
 Ulteriore animum foetu Ubsaliense Lyceum
 15 Foecundat, Sanctique Aequire cupidine ductum.
 Rex erat Arctous, Divus GUSTAVUS ADOLPHUS,
 Qui postquam posito Borealem magnus ad altum
 Fulminat Oceanum bello, Victorque triumphat;
 Me voluit sacri per sancta Oracula Verbi
 20 Egregiam bello Gentem informare; verenda
 Esset ut hic Miles Pietate insignis et armis.

Sub Regni Leges Levonum dimiserat orbem
 Rex pius; et Riga jam excedere jusserat urbe,
 Illa Cuculligerum fuerat quae turba Virorum:
 25 Quando Jacobaeis jubeor succedere Templis,
 Obscura multum mentes in nube jacentes
 Illustrem ut monitis Divini ad luminis ignes.
 Praepositus, Dorptae Synodi Adessorque salutor.
 SPE VIGUI; pie CHRISTE, fuit sitibunda salutis
 30 Spes mea, DUM RE TU TRAHIS ad sacra gaudia Vitae.
 Annus et hinc non totus abijt; fit notior EDDE
 Virgo, dives Avis, et primo pulcrior aevo,
 Egregij Patris castissima filia **Witsants**.
 Nec sterilem pateris thalamum: Te Dante, superstes
 35 Filia GERTRUDIS, Conjux dilecta Magistri
 GEZELII, quae fecit Avum me prole-Nepote:
 Vivit JACOBUS Soboles, vivitque JOHANNES;
 Vivit CHRISTINA et mitissima moribus ANNA.
 Accipiant viduae sanctissima jussa Parentis;
 40 Edoceat Pietas; teneant praecepta monentis.
 Sed meus ANDREAS vixit! Vixit PETRUS! atque
 Coetibus Angelicis EDDE est sociata propago.
 Sic VIGUI! pie CHRISTE, fuit sitibunda salutis
 SPES mea, DUM RE TU TRAHIS ad rata gaudia coeli.
 45 Hinc thalamis delecta meis SALVE, optima Conjux;
 SALVE Progenies; Gener o Clarissime Salve,
 Et sis solamen Gentis, rerumque levamen!
 SALVETE! Optati TRAHOR ad rata gaudia coeli.

Quod inter lacrym. scr.
 Laurentius Ludenius, Ph. et J. U. D.
 Poët. Cor. C. et Profess. P.

19. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Johannes Erici Stregnensis (cf. 16)

SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIVM

E nostro postquam GVDHEMIVS exiit aevo;
Abjecta flevit moestus Apollo lyra.
Fuderunt oculis manantia flumina Musae;
Et flevit Pietas, flevit et aequa Fides.
 5 *Flevit moesta Domus, Conjux et chara Propago:*
GEZELI, et tu flens, Clare Magister, eras!
Sed Deus ut terrae eripuit, Coelo ecce locavit,
Vt recitet Christo carmina grata suo.
Vivit: et est vita longum meliore superstes,
 10 *Perpetuus Coeli gaudia Civis agit.*
Ergo, moesta Domus, lacrymas suspende fluentes:
Ante homines obiit, vivit at ante Deum.

Defuncto in officium, Superstitibus
 in solacium scripsi
 M. Johannes Erici Stregnensis,
 Astronom. et Phys. Profess. P.

20. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Johannes Georgij Gezelius (cf. 16)

SKB, [UUB], [Tartu UB]
EPICEDIUM

GUTHEMIUS, sanctae Eusebiae vivebat Amicus;
 Consilio Eunomiae deditus unus erat.
 Florebat Thalamo pulcerrima gloria casto,
 Crescebat Soboli tuta medela suae.
 5 Sed quantum est, quod vivit homo? Ceu praeterit umbra,
 Sic cito GUTHEMII vita tributa fugit!
 Eusebia ingentem gemitum dat pectore ab imo!
 Eunomia o causa sufficiente dolet!
 Miscetur lacrymis thalamus; Vidua aegra laborat!
 10 Et Sobolis torpent, stante dolore, genae!
 Haec ego dum queror; et lacrymae mea verba sequuntur;
 Ipse Gener Soceri defleo fata mei!
 Quam brevis, ah, vita est! subitis elabatur horis!
 Mane viret, gelida sed Rosa nocte cadit.
 15 Cum sumus in cursu, properanti morte tenemur!
 In coelo Vitam, qui bene vixit, habet.

Quod Socero suo devenerando
 inter lacrymas sc.
 M. Johannes Georgij Gezelius,
 Graec. et Heb. Ling. P.P.

21. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Andreas Sandhagen (cf. 16)

SKB, [UUB], [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Svecia quem genuit, quem Regia Rigae docentem
 Vidit; quem Miles celebrem Pietate Magistrum
 Audiit; et Procerum pia quem Clementia fovit:
 Ille suae Sobolis decus, et decus ille Parentum,
 5 Et sancti gregis Exemplar GVTHEMIVS, orbis
 Ac vitae pertaesus obit; repetitque triumphans
 In coelis Christo juncti consortia coetus.
 Quid querimur? miserae functum se munere vitae,
 Ipsus ovat, laetusque suam in nova gaudia frontem
 10 Explicat: haut falsum dulcis cognominis omen
 Explevisse iuvat, Patriam et Christo Duce adeptum
 Esse bonam; adscribi Sanctis, Sociisque beatis.
 Salve sancta Anima, et coelo haut invisita! perenni
 Laeta bono, comes Angelicae Christique catervae!
 15 Tu, pie Christe, tuo recrea solamine moestos,
 Qui Patrem, Socerum, Pastorem, quique Maritum
 Lugent! fac cunctos memorare Novissima rerum!*

Supremis honoribus pie defuncti
 scrib.
 Andreas **Sandhagen** / Histor.
 et Pol. in Acad. Gustav. P. P.

22. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Michaël Bostadius (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
EPICEDIUM

Ad relictam Viduam moestissimam.

GUDHEMII defles dilecti fata Mariti,
 EDDE, mihi charae Matris habenda loco!
 Confiteor, tanti est Justissima causa doloris,
 Quod cecidit thalami portio chara tui!
 5 Verum, exopto, tuam subeant solamina mentem;
Est commune mori, coelica vita redit.
 Namque velut tenues fumus pertransit in auras,
 Sic celeri transit vita tributa pede.
 Perstat in humanis nil quicquam immobile rebus;
 10 Omnia praetereunt, praetereundo ruunt!
 Omnibus impositum est, inopiniae mortis adire
 Limina; Parcarum Lex ubi dura jubet.
 Hinc dolor, hinc lacrymae, gemitus, moestaeque querelae;
 Et gemis in viduo, sola relictata toro!
 15 Sed nos ferre decet, quod non mutare valemus:
 Infectum factum reddere nemo potest.
 Quis fuit? aut quis erit? qui mortis vicerit ictus,
 Et re Parcarum fugerit insidias?
Sic commune mori est! verum est solaminis alti,
 20 Quod post hanc mortem *coelica vita redit.*
 Vita prior, mortem dat; sed mors Janua vitae est
 Coelestis. Moreris? coelica vita manet.
 Est Deus Omnipotens, cum vult prognascimur, atque
 Ipsi cum placuit, nos quoque demorimur.
 25 Tempus erit, tumulis quo corpora nostra resurgent,
 Et venient superas re subitura domos.
 Ingentem quare patienter pone dolorem;
 Tristia qui tribuit, tempora laeta dabit.
 Tunc postliminij cito reddita Jure Marito,
 30 Aeterni intrabis gaudia summa poli.

Lugubri affectu scrib.
 M. Michaël Bostadius,
 Dorp. ad D. Mar. Past.

23. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 16)

SKB, [UUB], [Tartu UB]
EPICEDIUM

Vidua ad Reverendum et pie Defunctum
 suum Maritum.

Felix quae quondam fueram, dum fata sinebant;
Nunc infelici sidere nata, gemo!
O furor! o lethi nulli evitanda potestas!
Ah, quam insperatas Mors habet atra manus!
 5 *Abstulit illa parem thalami, comitemque laborum!*
Vicerunt rigidae spicula torva Necis!

*Ah! quis curabit viduos per secla⁹² Penates?
 Natorum quis erit nunc super usque Pater?
 Tu nisi, qui coelum e nihilo Terramque creasti,
 10 Qui servas homines, cunctaque in orbe, Deus.
 Sola ego vota DEo solvam! viduata Marito,
 Deserti vitam turturis instar agam!
 Interea dilecte Vale Conjunx! Valedicis!
 Nos iterum junget Christus in Axe Poli.*

Pie Defunctus respondet.

*15 Non coelum inideas, Conjunx! charissima Conjunx!
 Quo gaudes recipi, perpetuoque frui.
 Tunc fueris felix, tunc felicissima! quando
 Ante Deum nosmet junget amoena dies.
 20 Sunt turbae in Mundo, varij bellique tumultus:
 Certa Polo veniunt gaudia, nulla Solo.
 Chara Vale Conjunx! Nati Nataeque Valet!
 Summa dies iterum junget in Axe Poli!*

Ad testificandam veram condolentiam paucula
 haecce moesto Animo app.
 M. PETRUS CAROLI UNDENIUS,
 W-Gothus, SS. Theol. Stud.

24. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Petrus Trottonius (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*Mens habet aethereas sedes, mundumque Polarem;
 Non hanc servat Humus, nec Libitina tulit.
 Mox veniet tempus, Tuba Christi quando sonabit,
 Et reddet tellus, quod Libitina dedit.*

Haecce pauca condolentiae E. lubens app.
 M. Petrus Trottonius.

25. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Torerus Erici Odelius (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*Quot mala circumstent hominem! quot mille periclis⁹³
 Subjaceat! nemo commemorare potest.
 Hunc premit inventor scelerum; Conamine magno
 Insidias animae nocte dieque struit.
 5 Hunc Mundus porro exemplis seducere pravis
 Contendit; Nunquam sic homo tutus erit!
 Heu! soevum proprio in gremio secum gerit hostem;
 Cum quo pugnandum, praesto ibi hostis adest.
 Non secus ac vasto currens in gurgite navis
 10 Undique quassatur turbine agente maris:
 Sic homo jactatur fati mundique procellis,
 Semper curarum Janua aperta patet.*

⁹² *secla* S metri causa

⁹³ *periclis* S metri causa

Et tandem, subito qui se subducere tentat,
 Hunc vocat ante ipsos hora suprema dies!
 15 Exemplum monstrat, noster GUTHEMIUS, olim
 Qui fuerat Pastor! vir pietate gravis:
 Mellifluo gratos hausit de fonte liquores
 Scripturae; retulit dogmata pura Dei.
 Sana tulit demissae animae Solamina Verbi,
 20 Et pressit Legum corda maligna sono.
 Vixit! et emicuit veneranda modestia morum;
 Fulsit, ut aethereas Hesperus ante faces.
 Parca sed o citius praecidit stamina vitae,
 Longius ut tempus viveret ante Deum!
 25 Hinc, o GUTHEMI, Salve! coeli incola, Salve!
 Astrorum, Salve, Nobile Delicium!
 Luctum, et ultimum honorem testificans scribebam
 Torerus Erici Odelius,
 SS. Theol. Stud.

26. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Philippus Halbach (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*Sic abrupte fluunt dilectae stamina vitae,
 Et Musae deflent fata inopina Viri!
 Emoritur felix animis GVDHEMIVS; ille,
 Delicium Patriae, delicium Eusebiae!
 5 Corpore demoritur! sed mens pia vivit Olympo:
 Mortuus hinc mundo, vivit in axe Poli.*
 Condolentiae causa apposuit
 Philippus Halbach /
 Rostochiensis.

27. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Ericus Andreae Holstenius (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*Defunctus. Mortis instantis perimor minaci
 Spiculo, quod me jubet inter umbras
 Esse! dum vitae, rigidae Sorores
 Stamina rumpunt!
 5 Ad Cives. Faucibus voces dubiis adhaerent!
 Vos, pij cives, tenues susurros
 Linguae quos morbo lacerata format,
 Prendite sensu.
 10 Vivite aeternum! Docui salutis
 Vos iter: Christo bene vivite, inde
 Proximo vestro bene Vivite; o sit
 Morsque beata!
 Ad moestam Et tibi, Consors thalami, Marita,
 Conjugem. Nunc Vale dico; praeo; Deoque
 15 Trado te, curae fuerit coortae*

Juge levamen.

- Ad Liberos. Ad Poli Regem, Soboles venusta,
Avocor; non tu tamen es Parente
Orba; Sed praesto Pater est Jehova,
20 Estque Patronus.*
- Ad Generum. Clare GEZELI Gener; o Professor
Clare; vocem audi! Domui relictæ
Sis favens; vivas columen decusque
Patribus Orbae.*
- 25Votum Au- Incola o coeli, mihi clare, Salve!
thoris. Christe, sis felix domui columna:
Optimus vivat Gener, et Marita, et
Candida Proles!*

Quod lugens deproperabat
Ericus Andreae Holstenius,
Wesman.

28. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Nicolaus Psilander (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
EPICEDIUM

ECHO.

- Quid PETRUS ARVIDI? **E. Vidi.** Bene Amor tuus audit?
E. Mortuus audit! Quid Praepositus? **E. Positus!**
Sol Oculo? **E. Loculo!** Pol dignus vita? **E. ita:** Dignus
Semper Honore: **E. o re!** Dignus Amore: **E. morae!**
- 5 Duna dolens refluit? **E. Fluit.** Aures arrige. **E. Rigae.**
Collacrymans? **E. Lacrymans.** Impete clamat? **E. Amat.**
O clangores! **E. Angores.** Vidua? **E. Idua.** Deflet?
E. Flet. Proles quidem? **E. Idem.** Vis iterata! **E. rata!**
- 10 An repetit Castra? **E. Astra.** Poli sic tecta subintrat?
E. Intrat. Pervivit? **E. vivit:** Ibi tibi? **E. ibi.**

Quod C. C. C. C.
Nicolaus Psilander,
Smol-Svecus

29. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Andreas Bergh (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
EPICEDIUM

*Echo Exequialis ad Sylvam Dorpatensem
proclamata.*

- Quis dolor ad Dunam, dic tu resonabilis Echo?
Quid facit ut quatiat pectora clamor? **E. amor.**
Quid facit ut populum nunc vestiat ater amictus?
E. Ictus; fert Lachesis vivida fila? **E. Φίλα.**
- 5 Ambiguum forsā factum? **E. actum.** A turbine mortis
E. Ortis! Peccatum commeruit? **E. meruit.**
Nonne fuit Pastor? **E. Pastor;** quem Spiritus auxit,
Qui columen! **E. Lumen.** Qui nituit? **E. Nituit.**
Anne Ecclesiolae Svecorum Navita? **E. vita.**
- 10 Atque pius Rigae Praepositus? **E. positus!**

In tumultum? **E.** *Tumulum.* Quo flexit mens pia cursum?
E. *Sursum!* Ter felix o habitabit? **E.** *abit!*
 Cernit Christum? **E.** *Istum.* Quae, qualia gaudia? **E.** *dia.*
 Postremum verbum dic mihi quale? **E.** *Vale.*

Flens cum flentibus app.
 Andreas **Bergh** / Wesman.

30. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Jacobus Columbus (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*Livida Tisiphone diris torquata colubris,
 Cur sua de Stygiis Spectra reducit aquis?
 Cur strident Parcae, ac Alecto infecta venenis?
 Occupat officium cur Libitina suum?*
 5 *Cur fremit indomitis horrens Ophiusa venenis?
 Qualibus aut herbis Colchica terra viret?
 Cernimus heu frustra vix has saevire ministras
 Mortis! portendunt effera signa necem!
 Vera loquor; tristis nec me sententia fallit,
 10 *Successum capiunt talia quando suum.
 Heu jacet, Eusebiae decus immortale, cadaver;
 O vixit Levonum Gloria magna solo!
 Flete piae Charites, lachrymas effundite Musae,
 Scindite purpureas ungue rigente comas.*
 15 *Pro viridi tristem lauro gestate cupressum,
 Cum sonet in numeris nil nisi triste meis.
 Unanimi nisu pullatas sumite vestes,
 Et date lugubri carmina moesta sono.
 Calliopaea lyram sepone, Polymnia cantum,
 20 *Linque fides Erato, Therpsichoreque choros.
 Dixi! Melpomene tragicis vestita cothurnis,
 Farier incepit voce gemente statim.
 Quae vos Tartareae coepit dementia Parcae?
 Quis tenet aut Genius pectora vestra malus?*
 25 *Quando probos reprobosque simul, discrimine nullo
 Tollitis e mundo supprimitisque nece?
 Nec vos Doctrinae ratio, nec semina verae
 Virtutis, nec vos dogmata sacra movent?
 Nec vos infractae vires, speciesque Juventae
 30 *Depellit, nec vos fulva talenta Midae.
 Insatiata tuas fauces Mors vexat orexis,
 Non secus ac tetrae caeca barathra Stygis!
 Ah quanti luctus, ah quanti es causa doloris;
 Te sine sub toto tristius axe nihil.*
 35 *Tu cogis viduis multos recubare grabatis,
 Tu facis ut multi saucia corda gerant.
 Eripis Infantes Patribus, Natisque Parentes,
 Tu facis ut Fratri sic neque juncta Soror.
 Tu facis ut Conjux amittat maesta Maritum,****

40 *Vt quoque Pastorem linquat Ovile suum.*
Sed prius Oceani pisces numerabis et undas,
Vel quot Svediacus gramina tractus habet;
Ante ego quam dicam quot ponat Morta dolores,
Vel quot purpureas irriget imbre genas.
 45 *Si cupis exemplum; praesens hoc inspice Funus;*
Egregia ad Rigae moenia Pastor erat!
Sacra Monasterii⁹⁴ qua visit Natio Sveca
Limina, Divino pectore Pastor erat.
Tristibus hunc plorat lacrymis relicta Marita,
 50 *Hunc plorant Nati! Filiolaeque gemunt!*
Hunc plorat lacero relicta Ecclesia vultu,
Quam docuit magni jussa verenda Dei.
Hunc plorat tristi graviter VWestgothia luctu,
Quae dedit huic primum lucis habere diem.
 55 *Dicit inexhausto tabescens moesta dolore*
Foemina, quid gratum, nil nisi flere mihi est?
Et velut extincto tristatur compare turtur,
Nec tangit roseas fronde virente comas:
Sic gemit; ut verum cunctis testetur amorem,
 60 *Sic quoque flent gnati, filiolaeque piae.*
Ast aliam monstrabo viam, ne pectora semper
Corrumpas questu Foemina sola tuo:
Quid juvat innumeris sic indulgere querelis,
Cum Lachrymae extinctos non revocare queant?
 65 *Hoc iter est cunctis peragendum, ac ordine nullo*
Tendimus in gremium, frigida terra, tuum.
Ille Palaestini laqueata palatia templi
Qui struxit Salomon, mortis inivit iter.
Ille etiam Juvenis, quem cursa praepete nullus
 70 *Vicit; inexpletae mortis adivit onus.*
Quo fuit in toto nullus speciosior orbe,
Absolon extremum clausit in orbe diem.
Pone modum o lachrymis, Conjux viduata Marito,
Et tristes fletus disce inhibere tuos.
 75 *Nam non interiit; verum coeli incola vivit,*
Colloquio fruitur candidiore Dei.
Felix, qui vera clarus pietate recedit,
Accipit astrigeri tecta beata poli.
Et veluti Christus lucis surrexit in auras
 80 *Post mortem, et subiit culmina sancta Poli;*
Sic etiam nobis donabitur altera vita,
Cujus in aeternum haud terminus ullus erit.
Hinc o pone modum lachrymis, viduata Marito
Conjux, et fletus disce inhibere tuos:
 85 *Hora cito veniet; te summus habebit Olympus;*
Est mora parva, orbis machina tota ruet.
Vos quoque tristitiae, Gnati, praescribite finem:

⁹⁴ *Monasteri S*

*Et Gnatae, finem ponite moestitiae.
 Nam Pater Orphani adest Deus, est Viduaeque Patronus,
 Vos solabitur, et ducet, aletque bene.
 Talia Melpomene Levonum narravit in oris,
 Edidit et tristes Nympha diserta sonos.*

In veri doloris et ultimi honoris signum decantabat
 JACOBUS COLUMBUS,
 Gen. et Illust. Gub. Rig. Alumnus.

31. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Sigvardus Wallingh (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Quam fallax nostri praesens est terminus aevi!
 Quam rapido cursu vita tributa fluit!
 Paucos ante dies potuit bene gressibus uti
 PETRUS GUTHEMIUS, gloria magna Chori:
 5 Ast subiti subito crevit violentia morbi;
 Demoritur! Domui flebilis umbra suae!
 Pharmaca nil prosunt, Medici nec dextra periti,
 Ad medicam frustra se tulit aeger opem.
 O durum lethum! o durae violentia mortis!
 10 Funere flet tristi debilitata Domus!
 Sed licet in tumulo demortua membra quiescant,
 Mens tamen aetherei vivit in Axe Poli.

Condolentiae ergo scripsit
 Sigvardus **Wallingh** /
 W-Gothus.

32. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Jonas Johannis Scarensis (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

En Stat adhuc rapidi jus irrevocabile Fati,
 Dum omnia praesentis sub juga mortis eunt!
 Namque Indocorum juncis et arundine nexas
 Aggreditur celeri transitione Casas.
 5 Occupat, invadit simulac secreta Virorum
 Doctorum, quae auro splendidiora micant.
 Qui cupit exemplum, Rigam sua Lumina vertat
 Pallidae ubi mortis flebile vulnus erit!
 Exanimis, clarus jacet Arte GUTHEMIUS, ille
 10 Qui sacri Verbi buccina clara fuit.
 Qui, donec vixit vera Pietate Fideque
 Terrigenis dixit, quae sit ad Astra via.
 Non obduravit gemitus ad Pauperis aures;
 Obtulit ad querulas munera larga preces.
 15 Accipit Ossa quidem tumulus, sed Fama superstes
 In terris; superest Mensque beata Polo.

Ultimi honoris ergo fudit
 Jonas Johannis Scarensis,
 Svecus.

33. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Laurentius E. Emzelius (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]

Invida proh Lachesis! misereri nescia; semper
 Nititur extremos anticipare dies!
 Demoritur PETRUS GUTHEMIUS, ardua verbi
 Buccina; Divini gloria magna Chori!
 5 Flet Pietas! Conjux flet charo orbata Marito!
 Flet Gener insignis! flet pia Progenies!
 Demoritur! Verum Christo sociatus Iësu
 Aeternos supero vivit in Axe dies.
 Hinc modus o lacrymis veniat; GUTHEMIUS alti
 10 Vivit in axe poli, vixit in orbe soli.

Debitae concolentiae causā app.
 Laurentius E. Emzelius,
 W-Gothia Svecus.

34. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Andreas Helgonis (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]

EPICEDIUM

*Quam subito rapidus vitae denascitur usus!
 Quam cito Mortales lethi via fallit euntes!
 Vita etenim celeres transit, ceu fumus, in auras;
 Tristibus atque fugit praeter spem subdita curis.
 5 Exemplum nostro dederit GVTHEMIVS aevo;
 Qui secreta Dei mysteria, voce sonora
 Pandebat mundo, Divini Buccina verbi.
 En! mortis rapitur telis confossus acutis,
 Ante diemque! diem mortalis terminat aevi.
 10 Sed placido condit nictantia lumina somno,
 Et Christo felicem animam commendat: Olympo
 Hinc fruitur, superis successit sedibus hospes,
 Perpetuoque viget Paradisi in honore beatus.
 Hinc lacrymas o siste tuas, tristissima Conjux!
 15 Siste! Gener lacrymas GEZELI, clare Magister,
 Siste! pias lacrymas, Proles pulcherrima, siste!
 Vivit in axe Socer, Conjux, Genitorque beatus.*

Vltimi honoris ergo appendit
 Andreas Helgonis,
 W-Gothus.

35. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Claudius Olai Argillander (cf. 16)

SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Tetrica lex mortis! spreto discrimine, tollit
 Mortales! Pereunt Improbus atque Probus!
 Hoc nobis monstrant praesentia funera: Fidus
 GUTHEMIUS moritur Pastor in Aede Dei!
 5 Aoniis Vixit Musis addictus, et altis
 Artibus ingenuis, Pieriisque choris:
 Vixit magnanimo vulgans sacra dogmata Zelo;
 Vixit, et extremum clausit in orbe diem!

10 Flet Pietas! et flent omnes Heliconae colentes!
 Extinctum Musae flent! flet et Eusebia!
 Ille sed astrigero nunc est insertus Olympo:
 Vivit! cum CHRISTO vivit in axe Deo.

Condolentiam testans scr.
 Claudius Olai Argillander,
 Dalia West-G.

36. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Arnoldus Mahlstedt (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

*Ergone sic subita praereptus morte quiescis,
 GVTHEMI; Christi fida columna Gregis?
 Te Custode, Lupi sacrum vastantis Ovile
 Nil potuit rabies, nil potuitque dolus:
 5 Nil potuit duri tenebrosum dogma Suitae;
 Nil potuit salsum, Calve, sophisma tuum.
 Accipis inde tuo nunc praemia digna labore
 GVTHEMI; Superum laeta theatra subis.*

Condolentiae E. apposuit
 Arnoldus **Mahlstedt**
 Junior, Livonus.

37. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Andreas Svenonis Dimbodius (cf. 16)
 SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Fundite luctisonum Parnassi carmen Alumnae,
 Prodite tristitiae plurima signa novae.
 Plurima signa novi date conspicienda doloris,
 Et flavas tristi cingite fronde comas.
 5 GUTHEMIUS, Rigae Jacobi Pastor ad Aedem,
 Occubuit! fato functus o occubuit!
 Ille meus quondam Nutritius atque Patronus!
 Sanguineo ille mihi foedere junctus erat.
 Solvitur in lacrymas hinc o mihi lumen utrumque,
 10 Sicque iterat tristes mens tremefacta sonos:
 Improba Parca, Pio quae nulli parcere nosti,
 Debueras reprobis monstra tulisse Gregis.
 Anne cupis Christi cunctos delere Ministros?
 Anne tui quondam meta furoris erit?
 15 Sicne tibi Pietas et virtus temnitur omnis,
 Et probitas rigido sub pede spreta jacet?
 Ah, SVEONES! mecum Pastorem plangite Vestrum!
 Plange o Praepositum Lettica turba tuum!
 Nam mors Praecones dum Verbi tollit acerba
 20 Salvifici; iratum se Deus esse docet.
 Hinc vereor, nobis tristes instare ruinas!
 Terra est plena malis! aequora plena malis!
 Ast, venerande Parens, rebus sublata caducis,
 Incolis astrigeri culmina celsa poli.

- 25 Accipe quae solvit pulcerrima praemia Christus,
Praemia perpetuo continuanda die.

*VXORIS Superstitis et p. d. Mariti
Dialogus.*

- U. Siccine me miseram, mi blande Marite, relinquis,
Et repetis patriam, quae super astra, tuam?
Quis dolor o fuerit gravior? Quis durior unquam?
30 Uxor si charum perdat amica Virum.
- M. Sic fuit aetherei Regis divina voluntas,
Quae vitae nostrae jus habet atque necis.
Siste igitur lachrymas, et tristes mitte querelas,
Splendida coelorum me tenet aula. Vale.

Ἐτεόστιχον.

- 35 GVtheMIVS rVtILa CoeLI LoetatVr In aVLa,
Et ChrIsto LIngVa IVbILa grata CanIt.⁹⁵

In immaturum obitum Dn. Avunculi sui,
aeterna memoria devenerandi,
lugens haec fundebat
Andreas Svenonis Dimbodius,
Westro-Gothia Svecus.

38. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Petrus P. Byringius (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
EPICEDIUM

Viduae relictæ.

- Anxia quod tristi fundis suspiria corde,
Quod sunt sanguineis lumina tincta notis:
Quis damnare potest factum? bene, dicere, factum,
Coguntur cuncti qui proba corda gerunt.*
- 5 *Vltima nam cernis defuncti fata Mariti,
Qui fuerat cordis portio prima tui.
Quid sumus? ante dies paucos vixit valuitque
Vir tuus, atque tibi gaudia multa tulit.
Nunc jacet exanimis! sine vita est, triste cadaver!*
- 10 *Extremum dixit voce gemente Vale.
Non tamen immitti debes succumbere curae;
In mediis lachrymis disce tenere modum.
Ethnicus ordo, cui non est spes ulla salutis,
Pergit inexhaustis se tenuare modis.*
- 15 *At nobis, docuit quos Sacri pagina Verbi,
Tutior est tuto meta terenda pede.
Corporis ac Animæ quamvis disjunctio fiat,
Non tamen in nihilum pervolitare queunt.
Vltima sed cum lux perituro affulserit orbi,*

⁹⁵ Eteostichon annum 1644 exhibens.

20 *Spiritui ipsa redux portio carnis erit.*
Tunc o cum charo succedes compare Olympo:
Gaudia erunt nullo deperitura die.
Ergo cordipremum tandem sepone dolorem:
Ipse tuus Coniunx coelica tecta tenet.

In doloris lenimen scriptum

a

Petro P. Byringio,
 Suderm. Sveco.

39. Adr: Petrus Arvidi Guthemius – Aut: Andreas Malmenius (cf. 16) SKB, [UUB], [Tartu UB]
 EPICEDIUM

Qvam cito lapsurae momentum nobile vitae
Transit! ut umbra, dato Sole, caduca fugit!
En tuba GVTHEMIVS clangebat nuncia Verbi:
Mox tacet! extremum voce sonatque Vale.
 5 *Fit gemitus! tristi turbantur moenia luctu!*
Coniunx moesta dolet! moesta Domusque dolet!
Plangunt Vicini, luget Gener, atque Propago;
Ah, tanti properat Mors inopina Viri!
*Ponamus luctum **Gudheim** bene vivit Olympo:*
 10 *Vitam, quae nunquam est interitura, dedit.*

Condolentiae ergo apposuit
 Andreas And. Malmenius,
 Sudermannus.

40. Adr: Johannes Gutsclaff – Aut: Laurentius Ludenius (Kurtzer Bericht vnd Vnterricht von der Falsch-heilig genandten Bäche in Liffland Wöhhand. Daraus die Vnchristliche Abbrennung der Sommerpählschen Mühlen geschehen ist. Aus Christlichem Eyfer, wegen des Vnchristlichen vnd Heydnischen Aberglaubens gegeben Von Johanne Gutsclaff, Pomer. Pastorn zu Vrbs in Lieffland. – Dorpt in Lieffland, Hans Ohm, 1644: J. Vogel.)

Göttingen UB, Kobenhavn KB, H, Tallinn SA, Tartu UB
 GRATULATIO

Reverendo, Praestantissimo et
Humanissimo Viro
 Dn. JOHANNI GUTSLAVO,
 Ecclesiae Urbissensis Pastori dignissimo,
 Libelli hujus Authori.

Soepius immenso tempestas horrida tractu
Fertur, et involvit terras stridentibus Austris.
Porta tonat coeli; gravium fluit agmen aquarum
Turbine confusum piceo; et nigrante procella
 5 *Non tolerat medias hyemes aestate renata*
Luxuries segetum, gravidis quae surgit in herbis.
Spicea lactenti jamjam coma fruge tumescens,
Humida decussis campo flaccessit aristis:
Et spem destituit, nec frugum praebet acervos.
 10 *Obstupere animi! et quas res incognita turbat*
Scinduntur dubiae studia in contraria mentes!

*Dum trepidant vario trepidae discrimine partes,
Atque incerta fremit diverso murmure Terra;
Gutslave, Eusebiae et Christi Reverende Sacerdos,
15 Quaesit tristitiae, quae causa caputque laboris,
Expedit; prima repetens ab origine famam.
Inflectas hominum curas; tristesque ruinas
Soleris; certam jubeas sperare salutem, et,
Dante Deo, afflictis melius confidere rebus.*

Quod app.
LAURENTIUS LUDENIUS,
Ph. et J.U.D. Poët. Cor. Prof. P.

41. Adr: Johannes Gutslaff – Aut: Adrianus Verginius (cf. 40)

Göttingen UB, Kobenhavn KB, H, Tallinn SA, Tartu UB
GRATULATIO

*Insolita insolito Livonia tempore sensit
Frigora: Ruricolae fervorem Solis et aestum
Expectant, cupiunt; optantque ut frugifer imber
Descendat coelo (qualis soles aëris esse
5 Temperies, cum Sol attingit brachia Cancri,
Aut quando accelerat splendentis ad ora Leonis:)
Sed miseros misere spes decipiebat inanis;
Non calor et pluviae hac coeunt aestate frequenter,
Verum grando, gelu, ventus, comitante pruina
10 Exsurgunt, cedit Phoebique potentia: contra
Frigoris asperitas, et duri grandinis ictus
Consumunt, laedunt et perdunt funditus omne
Frumentum aestivum: perdit hordeum, avena, fabaeque:
Interit et longis texendis funibus apta
15 Cannabis, et linum quo foemina delectatur.
Coetera quis narret? creat haec meminisse dolorem.
Tu lege, commemorat Gutslavi haec pagina miram
Ignarae Gentis, quae Livoniam incolit, artem,
Qua tempestatis voluit sedare furores.
20 Accusat Fluvium, mola quo super aedificata est;
Haec mola, rustica Gens clamat, commovit ad iram
Hunc fluvium, Tonitru sacrum, tolerare negantem
Murmur aquae, sonitumque rotae, lapidumque tumultum;
Hanc tempestatem nobis Fluvij excitat ira.
25 Nec mora: Concurrit, gladiis hastisque tremenda,
Ardentemque molae furibunde subjicit ignem,
Egregio facto Fluvij compescat ut iram.
Ethnica Gens, pressit vestigia coeca parentum,
Pertulit hinc toto meritas in corpore plagas.
30 Ordine rem gestam Soboli, Gutslave, futurae
Narras; officio (Christo comitante) fidelis
Defungens Servi, dum vera docendo, refellis
Falsum. Non Satanus, inquis; non fluminis ira,
Sed Justus Vindex, cujus violavimus omnes
35 Divinam Legem, nobis haec tristia fecit,
Non ergo immerito culpam mala poena secuta est.*

*Corrige et emenda vitam, Livonica tellus,
Sic tibi laeta seges, veniet sic messis opima.*

Librum Gutslavi quem docta Minerva reclusit,
Commendat tui tibi carmine, candide Lector
Adrianus Virginius, Julino-Pom.
Ecclesiae Nuggensis, prope Urbem
Dorpatum, Pastor, et Facult. Theol.
Adjunctus.

42. Adr: Ericus Gyllenstierna – Aut: Johannes Petri Kuuth (In salutiferam nativitatem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 13. Decemb. an. 1644 publice /.../ enarrabat Johannes Petri Kuuth, /.../ - Dorpati, 1644: J. Vogelius.) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

DEDICATIO

*Perillustri et Generosissimo Heroi
ac Domino,*

DN. ERICO **Gyllenstierna**/

**L. Baroni in Arås/ Domino in Nynäs et Hiäl-
näs/ etc. Gubernatori Generali per Ingriam, Careliam,
Narvam et Allentackiam, etc.**

*Domino suo Gratosissimo,
Vitam et incolumitatem p.p.*

Illustris Baro, factis Illustribus Heros;

Reginae, et Patriae nobile Delicium;

Jam Novus Annus adest; cursus Hyperione natus

Absolvens, solitum rursus anhelat iter.

5 Mittunturque piae donaria commoda Strenae;

Et votum est, felix ut Novus Annus eat.

Hunc sequar optati morem totius ut aevi,

Transmitto tui JUBILA scripta stylo.

JUBILA, quae nostrae testantur gaudia mentis,

10 Dum Christus DEUS est virgine natus HOMO.

Celse Heros, Christus celsos beet ordine motus;

Illustremque tuam ditet honore domum.

Sic Novus adveniens hic felicissimus Annus,

Et placidi veniunt per pia vota dies.

Vestrae I. G.

Humil. Cliens

Johannes Petri **Kuuth** /

Sudermannus.

43. Adr: Philippus Halbach – Aut: Johannes Christophorus Kirstenius (Disputatio theologica in caput octavum a v. 1. usque ad v. 31. D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Philippo Halbach /.../ die <> Junij, anni 1644. – Dorpati Livonorum, 1644: J. Vogelius.)

Växjö LB, BRAN (def), [Tartu UB]

GRATULATIO

Ergo PHILIPPE, doces, temere non carpere quenquam:

Cum non mortalis sit sine labe status.

Rite tamen vitae a vitiis desistere tradis:

Ut frater fratri facta remittat, agis.

5 *Invigilare sacris, Christo duce, perge Camoenis:
Et pia vitae, pia et Dogmata convenient.*

Sic vovebat fratri suo dilectissimo
Johannes Christophorus Kirstenius.

44. Adr: Jonas Johannis <Scarensis> – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio metrica de temperantia: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 18. Iunij, anno 1644. publice /.../ enarrabat Jonas Johan. Scarensis, /.../ - Dorpati Livonorum, 1644: J. Vogelius.)

SKB, UUB, Karlstad StB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

Praestantissimo Dn. Peroranti.
JONAS JOHANNIS SCARENSIS.
Per Anagr.
HIS, O JONA, ANNIS SIS CREANS!

Temperie morum, et rerum gravitate; Virorum
HIS, O JONA, ANNIS SIS bona corda CREANS!

In felix auspiciis app.
Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.
Poët. Cor. Prof. Publ.

45. Adr: Jonas Johannis <Scarensis> – Aut: Jacobus Columbus (cf. 44)

SKB, UUB, Karlstad StB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

JONAS JOHANNIS SCARENSIS
Per Anagr.
HIS I SANIS, NASONIS CANORE.

Iure tibi, JONA, ferimus praeconia laudis,
Dum tuus est magno dignus honore labor.
Dum libant alij rosei Carchesia vini,
Thespiadum calida Numina mente colis.
5 Dum ducunt alij planta trepidante choreas,
Excipis undantes ex Helicone lacus.
His pius I SANIS; NASONIS namque CANORE
Conjungis lepido carmina docta stylo.
Pallas avet Studiis quondam dare digna brabeja,
10 Parnassique tibi praeses Apollo favet.

Quod in verum fraternitatis Symbolum posuit
Jacobus Columbus,
Gen. et Illust. Gub. Rig.
Stipend.

46. Adr: Jonas Johannis <Scarensis> – Aut: Henricus Winter (cf. 44)

SKB, UUB, Karlstad StB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

Qui versat gravium volvitque statuta Sophorum,
Vitamque exornat moribus ingenuis;
Laudibus eximiis merito celebratur in orbe,
Egregiae et praestat dexteritatis opus.
5 Hinc dum Temperiem morum, perdocte SCARENSIS,
Instillas animis Carmine suaviloquo;
En ti Embecciaes cantant praeconia Musae,

Conatus laudat Patria terra tuos.

Haecce Amico et Contubernali suo suavissimo
 gratulabundus adjecit
 Henricus **Winter** /
 Livonus.

47. Adr: Laurentius L. Kilander – Aut: Laurentius Ludenius (Oratio de justificatione hominis coram Deo: quam /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 15. Maji, anno 1644. publice /.../ enarrabat Laurentius L. Kilander, /.../ - Dorpati Livonorum, <1644>: J. Vogelius.)
 SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctiss. et Humaniss. Dn. Peroranti.
 LAVRENTIVS LAVRENTII KILANDER;
Per Anagr.
 NVLLI ERRENT; VIVIT ARA KALENDIS!

NULLI ERRENT; totis VIVIT sacra ARA KALENDIS:
Pro toto mundo Victima Christus obit.
Optatae durate Animae; confidite Christo;
Vita resurrexit Christus, ad astra vocat.
 5 *Morte mea functus: mihi mortuus, et mihi victor;*
Hinc sacra salvificam ventilat aura Fidem.

Quod in felix omen ap.
 Laurentius Ludenius, Ph. et J.U.D.
 Prof. publ.

48. Adr: Laurentius L. Kilander – Aut: Petrus Caroli Udenius (cf. 47) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Latonae proles, *Kilander*, magnus *Apollo*,
 Per quem concordant omnia coepta tua,
 Ingenij dotes tibi pulcras indidit ipse,
 Vt Musis sacris pectora nata geras.
 5 Cimmeriis quondam Romanus Papa tenebris,
 Electi oppressit dogmata sacra gregis,
 Tradens; quod proprium meritum, quod quale et inhaerens,
 Nosmet Mortales justificare queant!
 10 Errores tantos, *Tu* sic, et dogmata falsa,
 Ipse sacrosanctis deprimis usque sonis.
 Insta, insta: Dominus vires conatibus addet,
 Et surgent rerum commoda multa tibi.

Festinanti calamo, Amico suo
 ita gratulari voluit
 M. Petrus Caroli Udenius,
 W-Gothus. SS. Theol. Stud.

49. Adr: Laurentius L. Kilander – Aut: Jacobus Columbus (cf. 47)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Tartareis Pluto quaedam transmittit ab undis,
Livida perpetuae litis fomenta; cerebri
Humani ratione librant quae vera salutis
Dogmata, et astuto spinosa Sophismata nisu
 5 *Texunt; dum satagunt Fidei discindere nervos.*

*In cruce nos fuso salvamur sanguine Christi
 Justitiaque ejus remouentur crimina cuncta.
 Hic opus, hic res est, verae hic cynosura salutis.
 Talia qui secum constanti pectore volvit
 10 *Elysij repetet nemoris florentia tecta.
 Ergo tuos laudo conatus, docte KILANDER,
 Tanta pie vero mysteria corde volutas.
 Tu non humani, nullo fulcimine nixas,
 Sectaris genij tricas; sed congrua sacrae
 15 *Semina Scripturae Latia conspersa loquela
 Fundis. Perge piis felix insistere coeptis.
 Et tu successus clemens da CHRISTE secundos.***

Haec ita dilecto populari carmina
 fudit
 Jacobus Columbus,
 Gen. et Illust. Gub. Rig.
 Stip.

50. Adr: Matthias Matthiae Laechlin – Aut: Petrus L. Schonbergius (Disputatio philosophica, de natura ethicae, hoc est, de definitione et distributione ejusdem generali; ut et de virtutibus intellectualibus ita dictis, incidenter, quam /.../ in Academia Gustaviana /.../ sub praesidio, /.../ Michaelis Savonii, /.../ publice discutiendam exhibet Matthias Laechlin, /.../ ad diem <4.> Januar. /.../ - Dorpati Livonorum, 1644: Lit. acad.)
 Linköping LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Svnt comites virtutum: aeqvum, candor, bona spesque
 Sunt famulae Laudes, gloria, fama et honor.
 Casta illis domus et celso stant colle Penates,
 Vrbi dant Legem et moenia fortificant.
 5 *Has decus et niveis Victoria concolor alis
 Et cinctus Laurus ducit ad astra Chorus:
 Quas cum secteris, Matthia, animum cataphractus,
 Praemia digna feras ingenio usque tuo.
 His quondam Eusebiae Patriae, Laribusque paternis
 10 *Vtilis, atque urbis moenia fortificans.***

Haecce gratulabundus app.
 Petrus L. Schonbergius,
 Ostrogothus.

51. Adr: Matthias Matthiae Laechlin – Aut: Georgius Hornigk (cf. 50) Linköping LB, [Tartu UB]

GRATULATIO

*Laechlin nunc laudem et Decus immortale mereris,
 Et facis officij munia pulcra tui.
 Conaris recte conscendere pulpita Phoebi, et
 Dicere quod virtus Ethica magna siet.
 5 *Gratulor inde tibi, virtutes noscere perge
 Vt bene coepisti, sedulus absque mora,
 Te sacrosancta Trias servet, Studiumque secundet,
 Vergat ut in laudem nominis usque Dei.**

Ita Gratulabundus subjecit
 Georgius **Hornigk** /
 Aboensis.

52. Adr: Matthias Matthiae Laechlin – Aut: Michael Gustavi Porthanus (cf. 50)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Hasce theses doctas, qui scit defendere docte,
Ipse sibi laudem conciliare potest.
Hoc te posse probant, Laechlini dulcis Amice,
Ingenij et Genij dona verenda tui.*
5 *Nam scandis Cathedram, solerti et acumine mentis,
Praeside Savonio, solvis in arte strophas.
Perge pari studio Musarum invisere castra:
Et tibi perpetuo surget honore decus.*

Honoris et amoris E.
apposuit
Michaël Gustavi Porthanus,
Wib. Carelius.

53. Adr: Matthias Matthiae Laechlin – Aut: Laurentius G. Porthanus (cf. 50)

Linköping LB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Civilis vitae Moderatrix Ethica, doctos
Instillat mores, animosque rubigine nostros
Exuit, incautus qua nos infecit Adamus.
A Brutis homines distingvit, tollit in altum,*
5 *Prudentesque docet Divorum assumere mores.
Egregios idcirco tuos hoc carmine nisis
Laudo Matthia, merito doctissime frater.
Hinc urge tales sudanti mente labores,
Sedibus Aoniis vivax et fama vigebit.*

Sympatriotae et Contubernali suo
suaviss. ita gratulatur
Laurentius G. Porthanus,
Wib. Carelius.

54. Adr: Matthias Matthiae Laechlin – Aut: Laurentius Ludenius (De cruce et calamitate oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 20. Decemb. anno 1644. publice /.../ enarrabat Matthias Matthiae Laechlin, /.../ - Dorpati Livonorum, <1644>: J. Vogelius.)

SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctiss. et Ornatiss. Dn. Peroranti.
MATTHIAS MATTHIAE LAECHLIN:
Per Anag.
HAS MITTANT! HAEC LIMA LAETHI!

HAS MITTANT Mundi curas! HAEC optima LAETHI
Est LIMA, in CHRISTO vita sit acta meo.

In felix omen app.
Laurentius Ludenius, J.U.D.
et P.P.

55. Adr: Matthias Matthiae Laechlin – Aut: Michael Savonius (cf. 54) SKB, UUB, [Tartu UB]

GRATULATIO

Ornatissimo atque Doctissimo Dn. Mat-
thiae Laechlin Wiburgo-Carelino, amico et po-
pulari adposuit M. M. S.

Primus Adam ut vetitos decerpsit ab arbore fructus,
 Lignum prima homini perniciesne fuit?
 Sed postquam Crucis est suspensus in arbore Christus,
 Lignum homini vere certa salusne fuit?
 5 Adversa intrepidus licet ut despexerit Omnis,
 Cujus spes Christi nititur usque Cruce.

56. ADR: Matthias Matthiae Laechlin – Aut: Samuel Löfwing (cf. 54) SKB, UUB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Pvlchra Tibi ferimus Laudum praeconia, LAECHLIN,
 Pulchrum dum praestas Artis agentis opus.
 Quando Crucem spernunt alij sufferre modeste,
 Ipse animo volvis commoda larga Crucis.
 5 Certe onus haud, sed honos, aliquid perferre molesti!
 Nomine perpetuo ut clarior esse queas.
 Gratulor Ingenium: patienter tristia perfer,
 Nomine perpetuo Clarus ut esse queas.
 Jova beet studia haec, et sancta negotia firmet,
 10 Sic multum fructum patria Terra leget.*

Haecce Amico suo Singulari
 gratulabundus deprop.
 Samuel **Löfwing** /
 Calm. Svecus.

57. ADR: Matthias Matthiae Laechlin – Aut: Michael Gustavi Porthanus (cf. 54)
 SKB, UUB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Hoc, LAECHLIN, seculo⁹⁶ fateor non durius ullum!
 Gens Christi tristes fert sine fine vices.
 Quod dum perpendis calamoque animoque deserto,
 Laudibus eximiis concelebrandus eris.
 5 Cantabunt pulcrae Gentes praeconia laudis,
 Et venies Patrio Gloria grata solo.*

Haecce Amico et Contubernali suo
 gratulabundus adjecit
 Michael Gustavi Porthanus,
 Wib-Carelius

58. ADR: Matthias Matthiae Laechlin – Aut: Johannes Henrici (cf. 54) SKB, UUB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Vita hominum, Cruce multiplici cumulata videtur:
 Plena est tristitia plenaque moestitia!
 Ergo Crucem discas patienti pectore ferre:
 Qui patitur, vincit, concomitante DEo.
 5 Candide mi LAECHLIN, tua coepta probavero semper,
 In Cruce quod tradis fidere rite DEo.*

Conterraneo suo svavissimo, moris,
 honoris et amoris ergo appos.
 Johannes Henrici,
 Nötheburgensis.

⁹⁶ *seculo* edd metri causa

59. Adr: Georgius Michaëlis Langius – Aut: Laurentius Ludenius (De dialectica oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ 10. die Julij, anno 1644. publice /.../ enarrabat Georgius Michaëlis Langius, /.../ - Dorpati, 1644: J. Vogelius.)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

Doctiss. Dn. Peroranti.
GEORGIUS MICHAELIS LANGIUS,
Per Anagr.
ALLIGA; IN HOC MUSIS EGREGIUS!

ALLIGA honoratas Logico certamine mentes;
Author IN HOC MVSIS sic opere EGREGIVS!

Quod in felix omen app.
Laurentius Ludenius, J.U.D.
et Prof. P.

60. Adr: Georgius Michaëlis Langius – Aut: Faderus Uraelius (cf. 59) SKB, UUB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

Paucula, si chartae; sed maxima, pondera rerum
Si librem, ingenij gignis, Amice, bona.
Nam Logicum Logico progignis ab ubere foetum;
Et monstras varias dissecuisse strophas.
5 *Gigne ita; quo possis teneram efformare juventam;*
Et gignet famam sedula cura novam.

Ita suo Contubernali gratul.
Faderus Vraelius,
Smolandia Svecus.

61. Adr: Georgius Michaëlis Langius – Aut: Ericus Michaelis Langius (cf. 59)
SKB, UUB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

Dogmata cuncta jacent, hominum et solertia mentis
Fallitur; ingenuus cum Logicae usus abest.
Est Logicae in vita communi maximus usus,
Quo sine vix licitum est explicuisse strophas.
5 *Sit faustum et foelix, Frater dilecte Georgi,*
Ingenium Logicae cognitione beas.
Perge piis coeptis, perge invigilare Camoenis;
Et Studiis felix exorietur honos.

Fratri suo dilectiss. sc.
Ericus Michaëlis Langius,
Revaliensis.

62. Adr: Thorerus Eri Odhelius – Aut: Jacobus Columbus (Disputatio theologica in caput septimum a v. 21. usque ad finem, D. evangelistae Johannis selectissimas notas exhibens in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Thorero Eri Odhelio, /.../ die 10. Maij, an. 1644. – Dorpati Livonorum, 1644: Lit. acad.)

UUB, Västerås StB, BRAN, [Tartu UB]
GRATULATIO

Reverendo et literatissimo Dn. Respondenti

Mortalis vario lassatur turba labore,
Quam stimulis vit<i>us urget anhela suis.

Pars rigido viridem convertit vomere terram,
 Quam tenet ingenuae simplicitatis amor.
 5 Linteae pars rapidis exponit carbasa ventis,
 Quam lucrum gratae divitiaeque juvant.
 Horrida pars sequitur violenti praelia Martis,
 Cui placuit celsae Nobilitatis honor.
 Pars gestit Clarij salebrosa cacumina Pindi
 10 Scandere, quo clarum nomen in orbe gerat.
 Huic quoque dissimili studio tribuuntur honores:
 Alter quod spreuit, serius alter amat.
 Hic cupit Eunomiae florentia visere tempe,
 Condemnare reos, solvere rite probos.
 15 Hic sectatur opus cura fervente Galeni,
 Datque Machaoniis pharmaca mixta modis.
 Hic celeres nitidi cursus inquirat Olympi,
 Et tradit docta scripta stupenda manu.
 Hic canit auricomae gratissima facta Diones,
 20 Conjungens metricis verba diserta modis.
 Hic satagit clausos Physices penetrare recessus,
 Et mundi varias enucleare vices.
 Omnibus his verae dantur praeconia laudis,
 Et rutilat proprio lumine quisque suo.
 25 Sed qui Divini tractat mysteria verbi,
 Laudibus his cunctis antefendus erit.
Syderio quidquid coeli sub climate degit,
Corruet; at magni sunt rata verba Dei.
 Haec lucrum nobis et nostrae cardo salutis,
 30 His patet ad superos area certa choros.
 Suscipis ergo pios, dilecte TORERE, labores,
 Dum nisu tractas enthea scripta pio.
 His refoves fractos, et eis solamine promissis:
 His quoque criminibus saucia corda levas.
 35 Annuat Omnipotens; magno florebis honore,
 Vernat ut in Libani roscida planta jugis.

In Syncerae amicitiae signum et infucatae fraternitatis
 arrham, amico animo gratulabatur
 Jacobus Columbus,
 Gen. et Illust. Gub. Rig.
 Stip.

63. Adr: Michael Gustavi Porthanus – Aut: Laurentius Ludenius (De magistratu politico, deque subditis oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 4. Iulij, anno 1644. publice /.../ enarrabat Michael Gustavi Porthanus, /.../ - Dorpati Livonorum, 1644: J. Vogelius.) SKB, UUB, H, [Tartu UB]

GRATULATIO

Doctiss. Dn. Peroranti.
 MICHAEL GUSTAVI PORTHANUS:
Per Anagr.
 CHRISTUS POLI, HUMANA AVGET.

Ille POLI Dominus CHRISTUS, feliciter AUGET

HUMANA: et Regem, et Subdita corda beat.

In felix omen app.
Laurentius Ludenius, J.U.D.
ac Prof. P.

64. Adr: Michael Gustavi Porthanus – Aut: Matthias Matthiae Laechlin (cf. 63)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Qvomodo Scepstrigeri Gladium per secula Gestent,
Et Subjectorum quod siet officium;
Dum docto sermone doces, perdocte MICHAEL,
Quis te condignum laudibus esse neget?*
5 *Tu Majestatis coelesti Numine fultus,
Hic Majestatis Sceptra verenda refers.
Castalias colito Musas; Christo Auspice, honores,
Praemia pro meritis summus Apollo feret.*

Debiti honoris, fraterni amoris, et mutuae
amicitiae declarandae causa
accinebat
Matthias Matthiae Laechlin,
Wib. Carelius.

65. Adr: Michael Gustavi Porthanus – Aut: Simon Aeschilli (cf. 63)

SKB, UUB, H, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Nescia, stat virtus, turpem perferre repulsam:
Assequitur laudem, et praemia consequitur.
Hanc, Michaël, nitidis, Porthane, amplecteris ulnis,
Quando Magistratus detegis officium.*
5 *Perge, velut pergis: Virtutem amplectere sacram;
Et sequeris laudem, et pulcra brabeia refers.*

Haecce paucula, Amico et Populari
suo dilecto posuit
Simon Aeschilli,
Ramomontanus.

66. Adr: Petrus L. Schonbergius – Aut: Ericus Harkman (Disputatio theologica in caput nonum a v. 1. usque ad v. 24, D. evangelistae Iohannis selectissimas notas exhibens, in Regia Academia Dorpatensi publicae censurae subjicietur, praeside Andrea Virginio, /.../ respondente Petro L. Schonbergio, /.../ die <28. Martij> Decembr. anni 1644. Dorpati Livonorum, 1644: J. Vogelius.)

Växjö LB (def), BRAN, RNB, [Tartu UB]
GRATULATIO

*Doctrina ac Humanitate Conspicuo Viro Juveni
Dn. Petro Laurentij Schonbergio, Ostro-
gothia Sveco, fratri ac amico meo certissimo de prae-
senti hac materia eleganter Disputanti.*

*Languet in aeternis humana scientia rebus,
Et nescit Summi Mystica jura Dei,
Quae fragilis caeco rimatur acumine mentis,
Nec didicit canonem quaerere dogma sa<nct>um,*
5 *Discipuli propria sic quamvis voce docentem
Christum audivissent voce sonante DEum:
Non tamen infirma potuerunt cernere mente,*

*Punitur nostrum quomodo saepe genus;
 Non semper foedi sceleris quod pondere turget,
 10 Ast quod et est CHRISTI portio grata gregis.
 Ut manifestetur Divina potentia; quanam
 Imperio terris imperat atque polo:
 Non tamen aequalis scelerosos sarcina torquet
 Atque probos, alio sed varioque modo.
 15 Illos justa Dei graviter vindicta fatigat,
 Increpat has flagro paena paterna levi.
 Hosque statim placidis ulnis involvit amoris,
 Dilatans laeti culmina sancta poli.
 Sic etiam caeco concessit luminis usum,
 20 Ut posset lati tecta videre soli.
 Haec et plura Dei volvis Mystera PETRE,
 Praeside dum Claro dulcia bella subis.
 Sic studio Sophies devoto pectore jungis
 Eusebiam: quare laus tibi magna venit.
 25 Eusebiae et Sophies studium conjungere perge,
 Et cinget viridi flore Minerva comas.*

Fraterno ex animo apposui
 ERICUS Harckman / Wesmannus.

67. Adr: Petrus L. Schonbergius – Aut: Christianus Iheringius (cf. 66)

Växjö LB (def), BRAN, RNB, [Tartu UB]
 GRATULATIO

*Hippocratis medicam merito mirabimur Artem,
 Qua valuit celeri dextra, aegrotantia membra,
 Hanc ad mundanam vitam revocare ligando:
 Siste, precor gressum, et Chartam, quam trado, tuere,
 5 Maximum et hic Medicum medicorum rite videbis.
 Non modo corporeos languores, Arte, parato
 Hic Sanat medicamine dans collyria coeco:
 Verum etiam morbos animi depellit iniquos.
 Haec meditando, tuis studiis bene prospicis: opto
 10 Cordicitus, fausto succedant flumine fauste.*

Ita praeceptoris suo Chariss. gratulari voluit
 CHRISTIANUS JHERINGIUS, Sudermannus.

68. Adr: Heinrich Stahl et alii – Aut: Matthias Laechlin (De cruce et calamitate oratio: quam, /.../ in Regia Academia Gustaviana Adolphina, quae Dorpati /.../ est /.../ die 20. Decemb. anno 1644. publice /.../ enarrabat Matthias Matthiae Laechlin, /.../ - Dorpati Livonorum, <1644>: J. Vogel) (cf. 54-58)

SKB, UUB, [Tartu UB]
 DEDICATIO

*Admodum Rev. Clariss. Et Praecellentissimo
 VIRO*

DN. HENRICO STAHELN/
 Per Ingriam, Careliam, et Allantackiam
 Superintendenti Dignissimo,
 Mecoenati suo colendissimo:
 Rev. Clariss. Et Praestantiss. Viris

DN. PRAEPOSITIS,
 DN. CAPITULARIBUS,
 DN. PASTORIBUS,
 DN. COMMISTRIS,
 Omnibus et Singulis,
 Per Ingriam, Careliam, Narvam et Allentackiam, in Vineam
 Domini Collatoribus Vigilantissimis,

Vitam, Incolumitatem, et Felicitatem p.p.

O Superintendens, Moecenas inclite, sacrae
 Delicium Eusebiae, praesidiumque meum:
 Et Vos, qui summi veneranda Oracula Christi
 Dicyis, aetherei Buccina clara soni:
 5 Praeteriere dies Veteris, novistis et, Anni
 Et tribuente Deo, jam Novus Annus adest.
Multa meis sit dicta animis nunc gratia Christo,
 Quod Vos egregios servat in orbe Patres:
Servet; et adveniens sit felicissimus Annus:
 10 *Vita, sit et felix prosperitate Domus.*
Vivite felices, longissima vivite secla:
 Conatum Musae Vosque fovete Meae.

Dnn. suis Promotoribus et Fautoribus
 Unice devenerandis,
 In felix Novi 1645. Anni Auspicium,
 Humiliter, Reverenter et Officiose
 Dat. D. D.
 Matthias Matthiae Laechlin